D. JUNII JUVENALIS,

AQUINATIS,

SATIRAE TRES:

TERTIA, QUARTA, QUINTA.

EDIDIT

CAROLUS LUDOVICUS ROTH.

NORIMBERGAE.
IMPENSIS J. A. STEIN.
1841.

Praefatio.

Si quid temporis antequam juvenes Gymnasiis excedunt, post Taciti lectionem redundaverit, hoc in Juvenalem recte conferri arbitror. Itaque tres ejus satiras, ut mihi quidem videtur, venustissimas illum in usum edidi, quartam quintamque integras, tertiam nonnullis versibus propter obscenitatem recisis. Interpretationes adjeci, si quod alii praestant libri spectes, paucas, si carminum spatia cum notis compares, justo forsitan prolixiores. Sed haec est poëtae nostri ratio, ut lectorem rebus permultis, quae poscant interpretem, exerceat. Igitur ne quid ultra posset ad auctorem explicandum a discentibus desiderari, praeter vocabularium, cura ista efficere in animum induxi. Quae viri de Juvenale optime meriti, Henninius, Rupertius, Heinrichius, E. G. Weberus, C. Fr. Hermannus aliique ad locos difficiliores explicandos conscripserunt, hujus libri in usum converti, nominibus

virorum doctorum ad notas non adjectis, meaque adspersi indiscreta. Ut Tacitus, Juvenalis aliique non tam Latinitatis gratia leguntur, quam ut scriptorum atque aetatis ejus, quam depingunt, ingenia moresque pernoscantur: ita et notas eas potissimum addidi, quae eodem pertinerent, et appendices subjeci, e Seneca, Plinio Minore, Martiale ob id ipsum conquisitas, ut eorum, quae vel in carminibus ipsis vel in notis sunt memorabilia, uberior quaedam notitia discentibus accedat.

Satira III.

Quamvis digressu veteris confusus amici,
Laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
Destinet atque unum civem donare Sibyllae.
Janua Bajarum est et gratum litus amoeni
Secessus. Ego vel Prochytam praepono Suburae.
Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapsus

1—9. Versibus 1—20 poëta ipse loquitur. Inde a versu 21 Umbricium loquentem inducit. Hic enim ex urbe Roma sedem suam Cumas transfert, eoque tempore ipso, quo iter ingreditur, cum poëta in hujus satirae velut scenam prodit. *Confusus*, perturbatus, ita quidem, ut animi affectus ore ac vultu prodatur. Plin. Paneg. 86: Quam ego audio confusionem tuam fuisse, cum digredientem prosequereris! *Vacuis*, infrequentibus, quibus unius civis accessio exoptata est; sed etiam otiosis, ut Tibur vacuum Hor. Ep. I, 7, 45. *Sibyllae*, cujus ibi antrum. Virg. Aen. VI, 2 sq. Sibylla Cumanorum quasi numen tutelare pro Cumis ponitur. *Janua*. Bajas proficiscentibus Roma per Cumas iter est. Bajas autem Romani aestivo tempore tam voluptatis, quam valetudinis caussa petebant. Quinque millia passuum a Bajis Cumae aberant. *Litus amoeni secessus*, ora maris, quae secessum amoenum offert. Columella De C. H. 130:

— veteres cesposo litore Cumae.

Prochytam insulam, quae hodie Procida; Prochyta aspera apud Statium Silv. II, 2, 76. *Subura* pro Roma ponitur, vicus ad radices Coelii montis frequentissimus atque omnibus Urbis corruptae illecebris infamis. Martialis ad nostrum XII, 18:

Dum tu forsitan inquietus erras
Clamosa Juvenalis in Subura.

Tectorum assiduos, ac mille pericula saevae
Urbis, et Augusto recitantes mense poëtas?
Sed dum tota domus reda componitur una,
Substitit ad veteres arcus madidamque Capenam.
Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur

Quis enim locus est tam inamoenus ac tristis, tam solitarius, ut non Romae eum praeferas, ubi assidua metuuntur incendia etc. *Saevae*, vitam civium infestantis. *Augusto.* Recitationes scriptorum plerumque fiebant mense Aprili. V. Append. F. Romae mensis Augustus ceteris est pestilentior, quare Horatius Ep. I, 7 amico, ut rure in Urbem redeat, flagitanti, eo tempore non obsequitur. Ad reliqua Urbis mala, quae v. 8 enumerantur, illud etiam majus accedit, quod poëtae ipso mense Augusto, caniculae flagrantissimo aestu, cives propter negotia vel propter inopiam Romae versantes — nam qui rem habent, ruri degunt eo tempore — recitationes suas audire cogunt.

10—20. Poëta Umbricium amicum domo exeuntem prosequitur. Qui dum ad portam usque praecedunt, *redae uni tota domus* Umbricii, familia et supellex, imponitur, Cumas transvehenda. *Substitit*, redam onustam exspectans. *Arcus* portae Capenae, per quam eundum erat in Campaniam proficiscentibus. Capenam portam grandibus guttis pluere ait Mart. III, 47; haud dubie propter aquaeductum ei portae superstructum. A porta Capena per vallem Egeriam, quae hodie Caffarella dicitur, via ferebat amoena. *Constituebat*, tempus praefiniebat, quo convenirent. *Amicae* Liv. I, 19. 21. Quum sacrum ancile (Liv. I, 20) coelitus demissum in manus Numae incidisset, Plutarchus Num. 13 eum a Musis et Egeria scribit jussum esse, *Μούσαις καθιερῶσαι τὸ χωρίον ἐκεῖνο, καὶ τοὺς περὶ αὐτὸ λειμῶνας, ὅπου τὰ πολλὰ φοιτῶσαι συνδιατρίβουσιν αὐτῷ· τὴν δὲ πηγὴν, ἣ κατάρδει τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθ' ἡμέραν ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον.* *Nunc*, hoc tempore, quo a principibus cuncta in lucrum vertuntur (v. 15. 16) *sacri fontis nemus*, nemus cum sacro fonte atque etiam delubrum locatur Judaeis inquilinis, qui teste Philone aliisque (Act. Ap. 16, 13) loca quaerebant suburbana, arboribus consita, profluenti aquae vicina, in quibus more suo et stato tempore preces facerent. V. infra

**Judaeis, quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, et ejectis mendicat silva Camenis.
In vallem Egeriae descendimus et speluncas
Dissimiles veris. Quanto praesentius esset
Numen aquae, viridi si margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!
Hic tunc Umbricius, quando artibus, inquit, honestis
Nullus in Urbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas,
Dum nova canities, dum prima et recta senectus,**

---

ad v. 287 (296). *Quorum cophinus*, qualus, et *foeni* manipulus tota est *supellex*, qui sordido quaestu vitam sustentant. *Foenum* sunt qui eo referant, ut Judaei nocturnae quietis in usum illud secum tulerint. Mihi res venales, quas cophino gestabant, foeno fuisse contectas magis est credibile. *Omnis arbor*, per hyperbolen dictum, *populo*, reipublicae, *mercedem*, pretium locationis, *pendere jussa est*, non a Domitiano solum, sed etiam a Vespasiano, qui teste Suetonio res vilissimas fecit vectigales, ut exhaustum dementia priorum principum aerarium repleret. *Silvam*, sive viam, qua per silvam mediam itur, greges mendicantium obsident. *Dissimiles veris*. Qui speluncam marmore convestiverunt, speciem ejus nativam corruperunt. *Numen* poëta, ut Horat. Od. III, 10, 8 aëri, sic h. l. aquae tribuit: aqua sacra. *Ingenuum*, αὐτοφυῆ.

21—29. *Artibus honestis*, virtutibus, viris bonis; cf. Tac. Ann. VI, 7: sanctissimis Arruntii artibus. *Laborum* meorum, quos in haruspicinam contuli. Plin. H. N. X, 7: Umbricius, haruspicum in nostro aevo peritissimus. — Agendo, laborando nil proficitur; contra fortuna indignos extollit; alii pessimis artibus opes colligunt. V. Append. L. *Res* mea familiaris. *Here* pro heri. *Atque eadem* sq. Et quod eadem res familiaris mihi, qui sum pauper, *cras*, i. e. singulis diebus insequentibus, *aliquid deteret*, fortunas meas imminuet, quotidie aliquid amittet, quod antea fuit meum. *Illuc*, Cumas. Virg. Aen. VI, 14 sq.

Dum superest Lachesi, quod torqueat, et pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.
Cedamus patria: vivant Artorius istic
Et Catulus, maneant, qui nigrum in candida vertunt,
Quis facile est aedem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
Et praebere caput domina venale sub hasta.

Nova canities ejus est, cujus capillus incipit canescere. *Recta,* nondum incurva. *Dum superest Lachesi* Parcae lana, unde meae vitae filum *torqueat.*

29 — 33. *Artorius et Catulus* alioquin ignoti. Qui mores antiquos servabant, redemturis patrimonium augere turpe etiam tum putabant, ita quidem, ut non fama tantum laederetur, sed animus ipse labem aliquam vitiorum inde conciperet. Hinc, *qui nigrum in candida vertunt*, homines fraudulenti, cum iis componuntur, quis facile est *aedem conducere* etc. Tac. Ann. IV, 62 Atilius quidam apud Fidenam dicitur amphitheatrum struxisse, neque vero abundantia pecuniae, nec municipali ambitione, sed in sordida mercede id negotium quaesivisse. Eodem referendum est, quod Tacitus Ann. XIV, 13 sq. in Neronis aurigationes et studia scenica non minus acerbe invehitur, quam in vera flagitia. *Aedem* exstruendam, *flumina* purganda, ripis coërcenda, *portus* faciendos vel purgandos conducere. *Eluviem* ut Pomptinas paludes. *Portandum ad b. c.* curabant designatores Hor. Ep. I, 7, 6, qui in templo Libitinae apparatum exsequiarum vendebant, Libitinarii. Nil profectum esse ab iis, qui antea versum 33 interpretati sint, Heinrichius judicat. Eos significari homines ingenuos, qui adesis omnibus fortunis egestate cogente suum ipsi *caput*, suam libertatem licitantibus vendant. Ceterum a voce *et* versum falso incipere; *aut* rectius habere; et quid *domina* sibi velit, ne sic quidem liquere. Sed vir doctissimus huic interpretationi officere illud, quod his quattuor versibus de quaestu sordido sermo est, non de prodigorum sorte novissima, fatetur ipse. Hinc aliter interpretandi versus periculum facere operae pretium puto. Ut in Libonem ex servis salvo SC. quaereretur, Tacitus Ann. II, 30 jubente Tiberio singulos actori publico mancipatos fuisse memorat. Id non semel a Tiberio (Ann. III, 67), quin etiam plus annis XX ante ab Augusto factum esse Dio Cassius auctor est p. 866. 775. Et de

Quondam hi cornicines et municipalis arenae
Perpetui comites, notaeque per oppida buccae

Augusto quidem: *Ἐκέλευσεν, ὁσάκις ἂν χρεία τοιούτου τινὸς γένηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν (τὸν δοῦλον) ἢ καὶ ἑαυτῷ πιπράσκεσθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάζηται.* Quaerebatur ergo in novo hocce jure, cujus callidum repertorem Tiberium nominat Tacitus, quod legum esse subvertendarum etiam sub Augusto adparebat, species quaedam et simulacrum venditionis atque emtionis legitimae. Quod qui potuit fieri? Ita solum, ut existeret quispiam, qui se nomine rei, cujus in caput quaerebatur, servos singulos auctione constituta venderet, emtore vel Caesare ipso vel actore publico. Hunc vero morem durasse sub insequentibus principibus et illud argumento est, quod Dio p. 953 de Claudio refert, et magis etiam, quod Hadrianum, Antoninum, Severum, alios ei abolendo dedisse operam satis constat; nec Domitianum, cujus tempora potissimum poëta noster repraesentat, qua erat in novis etiam generibus saevitiae excogitandis solertia, hunc morem antiquitus traditum omisisse per se est credibile, nisi Suet. Dom. 11 id probari judicamus. Itaque his Taciti aliorumque locis demonstrari videtur, inter plurimos istos, qui Romae suam in turpibus ministeriis operam vendebant, ne eos quidem defuisse, qui principum jussu et mercede vel accepta vel promissa, sibi a reo, cujus in caput erat quaerendum, mandatum esse, ut singulos servos venderent, publice profiterentur, et auctionem ipsam facerent; eosdemque esse, quos h. l. poëta significet. Quum enim servorum auctionem facere per se neque novum sit, neque turpe (Plaut. Menaechm. fin.), horum in mancipandis aliorum servis ministerium indicatur voce *domina.* Hasta *domina,* seu a domino et deo nostro (Suet. Dom. 13) posita; eaque personae fictione facilius utitur poëta eo, quod auctore Tatio Romani olim colebant hastam, Quirini sive Martis simulacrum. Igitur versus 33 haec erit sententia: et singulos eorum, quos perditum it princeps, servos ut per tormenta interrogari possint de dominis, auctioni subjicere volente Caesare.

34 — 40. *Hi,* non iidem, quorum antea fit mentio, sed hi homunciones, omnibus noti. *Municipalis arenae,* ludorum gladiatoriorum, ne in Urbe quidem, sed in municipiis editorum. *Comites,* qui familias gladiatorum usquequaque sectantur tubicines cornicinesque, quorum *buccae* inflantur canendo. *Buccae*

Munera nunc edunt, et verso pollice vulgus
Quem jubet occidunt populariter: inde reversi
Conducunt foricas, et cur non omnia? quum sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.
Quid Romae faciam? Mentiri nescio; librum,
Si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
Astrorum ignoro; funus promittere patris

---

casu secundo positum est. *Munera* v. Append. N. *Verso pollice;* gladiatorum si quis devictus jacebat, et spectatorum misericordiam implorabat, hi vertendo ad pectus pollice indicabant conficiendum esse eum a victore; contra faventium erat, pollicem premere, sive reliquis digitis inserere, quo victor jubebatur, jacenti parcere. Saevitiam populi ludos gladiatorum spectantis non semel notat Seneca, ut De Ira I, 2, 3: Gladiatoribus quare populus irascitur, et tam inique, ut injuriam putet, quod non libenter pereunt? Ep. 7, 4 voces ipsas vulgi ex arena refert: Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? *Populariter*, in gratiam populi, ut populares ipsi dicantur. *Foricas,* latrinas ad requisita naturae per urbem positas passim, ubi qui alvum exonerabant, parvum vectigal pendebant iis, qui foricam conduxerant. Primum haecce locasse Vespasianum, e Suet. Vesp. 23 credibile est. *Et cur non omnia* majora etiam eos conducere fas est, *quum sint* tales, quales fortuna solet extollere, i. e. impudentes. *Humili* substantive dictum.

41 — 48. *Laudare* in recitationibus *et poscere* domi legendum. *Motus astrorum ignoro*, non sum astrologus, Chaldaeus, mathematicus, qui genitali consulentium hora comperta ex siderum positu et spatiis, quae cuique eventura essent vel prospera vel adversa praesagiebant. Tac. Ann. VI, 20. 21. Hi saepius et frustra per SC. Italia pulsi sunt. Qui saepius exsules fuerant, eorum divinationibus praecipua fides habebatur. Juv. Sat. 6, 557. *Funus patris.* V. App. A versus ex Ovid. Metam. laudatos. Filius patrimonii potiendi cupidus astrologum consulit, ecquando patrem sit elaturus. Seneca in ludo de morte Claudii Caesaris c. 3 Mercurium inducit, uni e tribus Parcis haec dicentem: Patere mathematicos aliquando verum dicere, qui il-

Nec volo, nec possum; ranarum viscera nunquam
Inspexi. Ferre ad nuptam, quae mittit adulter,
Quae mandat, norint alii; me nemo ministro
Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam
Mancus et exstinctae corpus non utile dextrae.
Quis nunc diligitur, nisi conscius, et cui fervens
Aestuat occultis animus semperque tacendis?
Nil tibi se debere putat, nil conferet unquam,
Participem qui te secreti fecit honesti;
Carus erit Verri, qui Verrem tempore, quo vult,
Accusare potest. Tanti tibi non sit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum,
Ut somno careas, ponendaque praemia sumas
Tristis et a magno semper timearis amico!

---

lum, ex quo princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. *Ranarum* rubetarum viscera, jecur praesertim, a veneficis et magis diligenter fuisse requisita testis est Plinius H. N. XXXII, 18. Ceterum *inspexi*, quod est verbum solenne in extispiciis, non magicas artes, sed divinationem e ranae extis faciendam videtur indicare. *Fur*, peculator. Qui provinciis praesidebant, vel res principum procurabant, peculatum exercere non poterant, nisi adjuvantibus magistratibus aliis, vel iis saltem, quos in consilio habebant. *Nulli comes exeo*, nemo proconsulum, praetorum etc. me jubet in cohorte amicorum se sequi in provinciam. *Mancus*, debilitatus aliqua mei parte. *Exstinctae dextrae*, corpus, homo, qui, quod dextra torpeat, nulli usquam rei sit utilis.

49 — 57. *Conscius* scelerum occultorum. Mart. VI, 50, 5:

Vis fieri dives, Bithynice? conscius esto.

Opaci. Martialis ad Licinianum I, 50:

Aestus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris arborum —

Inumbrantibus opacis arboribus tuum corpus in Tagi undis refrigerabis. Tagum, Padum, Hebrum, Pactolum, Gangen fluvios Plinius H. N. XXXIII, 21 auriferos esse scribit. *Ponenda*, quae mox deponere cogaris, quia per nefas accepta sunt. *Tri-*

Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris,
Et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
Nec pudor obstabit. Non possum ferre, Quirites,
Graecam Urbem: quamvis quota portio faecis Achaei?
Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam et mores et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit et ad circum jussas prostare puellas.
Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra!
Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine,

---

stis, *σκυθρωπὸς*, ut Plin. Paneg. 41: tristi supercilio. — Ut subinde minas aliquas fronte tua prae te ferendo terreas amicum magnum, *potentem*, quasi secreta ejus jamjam proditurus.

58 — 68. *Graecam urbem.* Sen. Cons. ad Helv. 6: Nullum non hominum genus concurrit in Urbem et virtutibus et vitiis magna pretia ponentem. Jube omnes istos ad nomen citari, et unde domo quisque sit, quaere: videbis majorem partem esse, quae relictis sedibus suis venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamen suam. — Romani, Umbricius inquit, Graecorum mores adeo sunt amplexi, ut Urbs ipsa Graeca potius, quam Latina videatur esse. *Quota portio*, pars minima. *Faecis.* Tac. Ann. XV, 44: Quo (in urbem Romam) cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt. *Defluxit Orontes*, Syria suos in urbem Romam incolas transmisit. *Ὅλα ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι* (Romae) *συνῴκισται, ὡς τὸ Καππαδοκῶν καὶ Σκυθῶν καὶ Ποντικῶν καὶ ἄλλων πλειόνων*, Athen. p. 20. *Linguam*, ut Syri Syraeque haberent Romae, quibuscum patrio sermone suo possent colloqui, vel etiam, ut Syriaca quaedam vocabula in linguam Latinam intruderentur. *Mores.* Syri aliique Asiani luxu erant infames. Notum illud Livii XXXIX, 6: Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est etc. Puellae Syrae plurimae Romam commigrabant quaestum suo corpore facturae. Eaedem tibiis, sambuca, cithara canebant et tympana pulsabant. Ejus generis erant Ambubajae, quas Hor. Serm. I, 2 memorat. *Ite* me non invidente. *Lupa*, meretrix. *Mitra* Phrygia. *Rusticus*, Cato de R. R. Praef.: Virum bonum cum laudabant (majores nostri), ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. *Trechedipna.* Graecis homo τρεχέ-

Et ceromatico fert niceteria collo.
Hic alta Sicyone, ast hic Amydone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis,
Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.
Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promtus et Isaeo torrentior. Ede, quid illum

δειπνος erat idem quem *παράσιτον* plerumque vocabant. Neutrius generis vocem trechedipnum, *τὸ τρεχέδειπνον*, Latinos demum extulisse Heinrichius censet, eoque vestem indicari, qua homines delicatuli utebantur ad coenam vocati. Sed si verum est hocce, in ipsa veste barbaricum nescio quid inesse oportebat et moribus Romanis indignum. Veri autem similius mihi videtur, trechedipnis indicari eas stipes, quas a Nerone datas, ut irritamenta luxus inde emerentur, Tacitus Ann. XIV, 15 refert. *Ceromatico.* *κήρωμα*, unguentum athletarum, ex oleo, cera, certisque terrae partibus confectum. *Niceteria*, *νικητήρια*, praemia victoriae et insignia pugilum. Nero primus imperatorum cives Romanos, eosque nobilissimos, praemiis induxit, suoque exemplo permovit, ut in scena vel in arena sese spectandos praeberent. Tac. Ann. XIV, 15. Plura dabit Dio p. 999: *ἤσκουν μὲν γὰρ πάντες, ὅτι τις καὶ ὁπωσοῦν οἷός τε ἦν· καὶ εἰς διδασκαλεῖα ἀποδεδειγμένα συνεφοίτων οἱ ἐλλογιμώτατοι ἄνδρες, γυναῖκες, κόραι, μειράκια, γραῖαι, γέροντες* etc. Hinc eas quoque scholas a Nerone apertas fuisse credibile est, in quibus pugilationis et luctationis studiosi instituerentur. Ceterum Augustus ipse (Suet. 45) pugiles Latinos studiosissime spectavit.

69—80. Undique homines Graeculi, atque etiam minimis ex oppidis Romam confluunt. Longius hyperbaton facit Umbricius inde a verbis v. 61: *quamvis quota* sq., et v. 69 sq. quid hoc velit dictum: *non possum ferre Graecam urbem*, explicare coepit. Colles duos pro Urbe ipsa nominat; ut *Esquiliae* ab aesculis, sic *Viminalis* a viminibus nomen tulit. *Viscera*, unde velut calor vitalis in totam domum effunditur. *Isaeo*, lingua Isaei, *torrentior*. Isaeus rhetor Plinii minoris laudibus celebratus; v. Append. G. Ut infra v. 99 (100) Graecos omnes comoedos judicat, sic h. l. omnes facundos. *Ede*, dic. Tu rei unius peritum esse putas falso: nullam ille artem non callet.

Esse putes? quem vis hominem, secum attulit ad nos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, schoenobates, medicus, magus: omnia novit.
Graeculus esuriens in coelum, jusseris, ibit.
Ad summam, non Maurus erat, neque Sarmata, nec Thrax.
Qui sumsit pennas, mediis sed natus Athenis.
Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
Signabit? fultusque toro meliore recumbet
Advectus Romam, quo pruna et cottana vento?
Usque adeo nihil est, quod nostra infantia coelum
Hausit Aventini, bacca nutrita Sabina?
Quid? quod adulandi gens prudentissima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus aequat
Herculis, Antaeum procul a tellure tenentis,
Miratur vocem angustam, qua deterius nec

Aliptes, unctor, qui lavantibus in balneo praesto est. *Schoenobates*, funambulus. *Jusseris*, si jusseris. *In coelum ibit*. Hor. Od. I, 3, 38: Coelum ipsum petimus stultitia. — Ceterum Neronis temporibus Suetonio Ner. 12 auctore inventus est, qui Daedalum conatus imitari in Circum decidit. *Ad summam*, denique, hoc erat Graecorum ingenium, inde a remotissima vetustate. Athenae, artium omnium genitrices, Daedalum quoque sibi vindicabant, Erechthei regis nepotem vel pronepotem.

81 — 96. *Conchylia*, vestes purpureas, fastum. *Me prior ille signabit*, inter testes seu signatores, qui ad testamentum rite faciendum adhibebantur, ille Graecus homo suum nomen prius subscribet, quam meum ego? *Fultus* cubito sinistro, quum in convivio accubuit. *Toro*, lecto; tribus e lectis circa mensam positis medius erat honoratissimus; alter, qui lectum medium a sinistra contingebat, summus dicebatur, qui a dextra, imus; imo lecto accubare jubebantur, qui reliquis convivis inferiores erant. *Advectus* inter res venales. *Pruna* Damascena. *Cottana*, parvarum ficuum genus e Syria. *Bacca*, olivis; Romanis ortus parentibus ex more patrio fui educatus atque insti-

Ille sonat, quo mordetur gallina marito.
Haec eadem licet et nobis laudare: sed illis
Creditur. An melior, quum Thaida sustinet, aut quum
Uxorem comoedus agit, vel Dorida nullo
Cultam palliolo? Mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui.
Nec tamen Antiochus, nec erit mirabilis illic
Aut Stratocles, aut cum molli Demetrius Haemo:
Natio comoeda est. Rides, majore cachinno
Concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
Nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,

---

tutus. *Vocem angustam.* Neronem exiguae vocis et fuscae fuisse Suet. 20 refert. Thrasea vero (Dio p. 1022) cum propter alia occisus est, tum quod *οὔτ᾽ ἤκουσέ ποτε αὐτοῦ κιθαρῳδοῦντος, οὔτε ἔθυσε τῇ ἱερᾷ αὐτοῦ φωνῇ.* Idem Tac. Ann. XVI, 22. Et Seneca in Ludo de morte Claudii Caesaris c. 8 Phoebum inducit haec canentem de Nerone:

Ille mihi similis vultu, similisque decore,
Nec cantu, nec voce minor.

Ille, gallus, pro voce galli; *quo* sq. qui *maritus*, seu velut jure maritali gallinam mordet. *Illis*, Graecis, potius quam nobis *creditur*, quia omnium rerum simulatores ac dissimulatores admirantium affectus imitando ita exprimunt, ut veros animi sensus prodere videantur. *An*, num, *melior* quisquam histrionum Graecorum esse potest, num partes suas melius potest agere, quum mulieris persona suscepta histrio Graecus *Thaida*, meretricem, *sustinet*, agit, *aut quum uxorem*, personam honestam, *comoedus agit*, *vel Dorida*, virginem aliquam juveni adamatam, quales sunt apud Terentium Glycerium, Pamphila. *Nullo cultam palliolo.* Palliolum velandae mulierum cervici inserviebat. Igitur histrio Graecus sui ipsius dissimilis muliebrem personam ita induit, ut virginem quoque nuda cervice possit agere.

97—102 (98—103). Qui nominantur his versibus, Graeci histriones sunt omnes eo tempore inclyti. *Illic*, in illa Graecarum artium scena majore. Qui circa domos nobilium adulando, simulando, mentiendo quaestum faciunt, laude histrionali multo majore digni sunt, quam qui in comoedia excellunt. *Na-*

Accipit endromidem; si dixeris, aestuo, sudat.
Non sumus ergo pares; melior, qui semper et omni
Nocte dieque potest alienum sumere vultum,
A facie jactare manus, laudare paratus,
Si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

---

tio sive omnes, qui Graeci sunt sanguinis. *Endromidem*, vestem villosam, quae, ut est apud Martialem IV, 19 efficit, ut

Non madidos intret penetrabile frigus in artus,
Neve gravis subita te premat Iris aqua.

103—110 (104—113). *A facie jactare manus*. De basiis jactandis hoc intelligunt interpretes, quod Sat. 4, 118 refert; et basia jactare venerationis potius quam caritatis fuisse signum adnotant. Appulejus eum morem describit: Admoventes oribus suis dexteram primore digito in erectum pollicem residente ut —Deam—venerabantur. — Quod si noster voluisset indicare, *manus* numero plurali non scripturum fuisse crediderim. Ceterum quod melius hisce afferam non habeo, nisi forte *manus a facie jactare* admirationem nimiam quandam significat; de quo cfr. Mart. X, 10, 10. *Rectum* pro adverbio. *Si trulla* etc. Alii lasanum *trulla* indicari putant, Heinrichius ipsum domini ventrem; et quia dives ille, trullam *auream* vocari; si parasitus ructantem mingentemque dominum fuerit admiratus, ut pedentem quoque miretur, consentaneum esse. Mihi contra veri simile videtur, poëtam de flatu ventris noluisse addere, ob id ipsum, quod duo illa praemisit. Praeterea Heinrichius aliique verba poëtae misere torquent, ut iis, quod vult quisque, intrudant. *Trulla* Romanos ad potandum usos esse negat Heinrichius; contra vas vinarium fuisse Cicero Verr. IV, 27, 62; Varro L. L. V, 25 aliique demonstrant; idemque fuisse, quod Lucian. Lexiph. 7 τρυήλη vocat, prope manifestum est; ex quo potare si moris non erat, quid impedit, quominus poëta calicem aliquem formae rotundae atque depressae, eundemque aliis capaciorem, velut Herculeum illum scyphum (Macrob. Saturn. V, 21) metaphorice adpellaret trullam? Mihi quidem credibile videtur, poëtam versu 107 (108) hoc velle dictum: Si homo dives vastum aliquod poculum siccavit: quod ut posset, licet ipse Magnus Alexander elaboraverit, tamen admiratione non magis digna res est, quam illa in ructando mingendoque solertia. Quid

Praeterea sanctum nihil est et ab inguine tutum:
Non matrona Laris, non filia virgo.
Scire volunt secreta domus atque inde timeri.
Et quoniam coepit Graecorum mentio, transi
Gymnasia, atque audi facinus majoris abollae.

---

vero *inverso fundo crepitum dedit? Inverso fundo* quominus indicetur pars ima vasis vinarii, in extrema potione sursum versi, nil obstat. Crepitum vero dare trulla aurea inter potandum potuit; ita scilicet, ut extrema illa vini per os vasis angustum effusio, id quod hodieque in vasis vitreis et aheneis observare licet, sonum quendam raucum atque obtusum ediderit. Et crepitum quidem, in ipsa potione extrema editum a vase, dignum visum antiquis, cui animum adverterent, illud argumento est, quod Lucianus loco ante laudato unum ejus generis vas nomine βομβυλιὸς memorat: quod nisi e sono edito nomen non potuit ducere. Crepitus trullae indicat, magnum illud facinus a viro divite patratum esse, ut admiratoribus jam sit fas plaudere. Non dissimile veri est, trullis aureis illa ῥυτὰ τὰ μέγιστα significari, de quibus Athenaeus p. 497 mentionem infert. Haec duorum congiorum capacia erant. *Ab inguine*, a libidine Graecorum, qui in domos nobilium se insinuant. Versum 110 (113) Heinrichius elumbem et Juvenali indignum eoque spurium esse contendit, e nullo codicum exulantem; in quo vehementer errat. Nam Juvenalis hoc versu Graecorum ingeniorum velut intimos recessus recludit: Graeci in libidinem et flagitia proni tamen virgines uxoresque corrumpendo id potissimum agunt, ut secretis domus imbuti a domino timeantur; qui sensus per se non inest in iis, quae antea de adulatione et de libidine Graecorum inferuntur. Idemque versus ut antecedentibus clausulam eamque necessariam imponit, sic insequentibus quasi viam aperit. In Graecis nulla fides, nulla religio; humani divinique juris contemtus.

111 — 115 (114 — 118). *Et quoniam* eorum malorum, quae urbs nostra habet plurima, illud omnium primum memoravi, quod e Graecorum multitudine ac potentia et perdita audacia oritur, *transi Gymnasia*, omittamus, quaecunque Graeci etiam in Gymnasiis delinquunt, *atque* de philosophis Graecis *audi. Abolla*, ἀναβολή, pallium philosophicum. Quae fiunt in gymnasiis, minoris abollae esse videntur. Philosophi ultra gymnasia se ef-

Stoicus occidit Baream, delator amicum
Discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
Non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
Protogenes aliquis vel Diphilus aut Erimarchus,
Qui gentis vitio nunquam partitur amicum,
Solus habet. Nam quum facilem stillavit in aurem
Exiguum de naturae patriaeque veneno,
Limine summoveor; perierunt tempora longi
Servitii. Nusquam minor est jactura clientis.
Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod

---

ferunt, velut ampliore pallio insignes. *Stoicus*, P. Egnatius Celer, *occidit*, i. e. falso testimonio, ut occideretur Soranus, effecit, emptus ad opprimendum amicum. Tac. Ann. XVI, 32. Barea Soranus sub Nerone occubuit cum Paëto Thrasea aliisque bonis. Senem et ipsum eo tempore fuisse, Tac. ib. 30 memorat: hinc *discipulum* vocat poëta, ut Stoicum a Stoico fraude oppressum demonstret. *Nutritus*, educatus, institutus. *In ripa illa* Cydni amnis, in oppido Tarso. *Gorgoneus caballus* equus est alatus Pegasus, cui Bellerophon insidet. *Pinna* caballi pro ipso caballo ponitur, ut Sat. 13, 233 crista galli pro gallo cristato. *Delapsa est*, caballus antea per aërem vectus se in terram demisit, i. e. Bellerophon eo delatus est. Bellerophon autem tam sanctitatis et castimoniae, quam fidei amico hospiti praestandae nobile in fabulis Graecorum exemplum conspicitur. Itaque versuum 114. 115 (117. 118) haec erit sententia: Bellerophon ne jus hospitii violaret, amorem reginae et regnum oblatum sprevit, quin etiam vitae discrimen adiit. Egnatius educatus et philosophorum praeceptis imbutus in ea regione, in qua de Bellerophonte fabula omnibus est nota, fidem patrono, amico, discipulo debitam fregit, lucri caussa Baream occidit.

116—122 (119—125). *Protogenes* etc. nomina Graecorum adulatorum vel ficta vel vera. Nihil de ijs aliunde notum. *Amicum* divitem, nobilem; non vult aliis ad eum patere aditum. *Facilem in aurem* amici creduli. *Veneno* calumniae. *Limine submoveor*, quum veni patronum salutaturus, non jam intromittor. *Servitii*, officiorum clientis.

Pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
Currere, quum Praetor lictorem impellat et ire
Praecipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,
Ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
Da testem Romae tam sanctum, quam fuit hospes
Numinis Idaei; procedat vel Numa vel qui
Servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:
Protinus ad censum, de moribus ultima fiet

123—127 (126—130). *Quod porro officium* sq. Num pauperis officiosae sedulitati gratia aliqua habetur? *Ne nobis,* Romanis, *blandiar,* Graecorum vitia enumerando, nostra, quae domi nostrae nascuntur, tacendo. *Meritum;* num pauperi gratia refertur? Cic. ad Brut. II, 17: Magna ejus (Lamiae) in me non dico officia sed merita. *Curet,* contendat. *Nocte.* C. Cornelius, eques Romanus, et cum eo L. Varguntejus Senator constituere, ex nocte — — sicuti salutatum introire ad Ciceronem. Sall. Cat. 28. — Ante lucem ibat (Plinius major) ad Vespasianum imperatorem; nam ille quoque noctibus utebatur. Plin. Ep. III, 5. Adde Append. B et R. *Togatus,* veste solenni eademque molesta, de quo cfr. infra v. 162 (171) *Praetor,* v. App. B et R. *Orbis,* quorum hereditatibus imminet, quos ob id ipsum colit et quotidie it salutatum. Senecae philosopho apud Tacitum Suilius cum alia exprobrat, tum „Romae testamenta et orbos velut indagine ejus capi.“ Idem vero philosophus de Benef. VI, 38: An tu Arruntium et Aterium et ceteros, qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quae designatores et libitinarios, vota? Illi tamen quorum mortes optent, nesciunt; hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam rei plurimum est, mori cupiunt. *Albina et Modia* mulieres orbae et divites.

128—137 (136—146). *Hospes,* P. Cornelius Scipio Nasica, de quo Liv. XXIX, 14; XXXV, 10. *Qui servavit* sq. L. Caecilius Metellus. Is Metellus orbam luminibus exegit senectutem, amissis incendio, cum Palladium raperet ex aede Vestae. Tribuit ei populus Romanus, quod nunquam ulli alii ab condito aevo, ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad Curiam. Magnum et sublime, sed pro oculis datum. Plin. H. N. VII, 45. *Trepidam Minervam,* Palladium incendio circumventum. De

Quaestio: quot pascit servos? quot possidet agri
Jugera? quam multa magnaque paropside coenat?
Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei. Jures licet et Samothracum
Et nostrorum aras: contemnere fulmina pauper
Creditur atque deos, dîs ignoscentibus ipsis.
Quid? quod materiam praebet caussasque jocorum
Omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,
Si toga sordidula est, et rupta calceus alter
Pelle patet; vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix.
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit. Exeat, inquit,

Palladio Ovid. Fast. VI, 421 sq. *Protinus ad censum*, ad patrimonium viri quamvis probi ac sapientis examinandum judex pergit, quia moribus fides testimonii non posse probari videtur. *Samothracum et nostrorum aras*, per deos tam peregrinos quam patrios. Samothracum, quia Romani eo tempore sacra patria subinde magis pertaesi externas superstitiones cupidius amplectebantur. Cfr. Hor. Sat. I, 9, 69.

138—150 (147—159). *Pelle*, calcei parte superiore. Hor. Sat. I, 6, 27. Mart. I, 50, 31. *Vulnere*, fissura, ruptura. *Cicatrix*, sartura. *Exeat*, *inquit* sq. Lex Roscia theatralis lata est a. U. 686 a L. Roscio Othone tribuno plebis, eaque sancitum est, ut equites discretis a plebe sedilibus in theatro proximi ordini senatorio in orchestra sedenti in quatuordecim ordinibus seu gradibus considerent. Sed multos plebejorum postea contra legem Rosciam iisdem in ordinibus consedisse illud argumento est, quod Domitianus teste Suetonio licentiam theatralem promiscue in Equite spectandi inhibuit. Ceterum non omnes plebeji, sed ii potius vel equites vel plebeji, qui censum equestrem non haberent, lege Domitiani e XIV ordinibus pulsi sunt; quod Martialis probat V, 25:

Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrate, surge:
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late!

Quibus adde Append. P. Itaque lege Roscia, qualem Domitianus repetiit, non genus nec ordines, sed patrimonia distingue-

Si pudor est, et de pulvino surgat equestri,
Cujus res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri, quocunque in fornice nati;
Hic plaudat nitidi praeconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes juvenesque lanistae.
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

---

bantur. Martialis l. l. designatorem quendam Lectium nomine, et VI, 9 Oceanum quendam nominat, qui, antequam spectandi initium fieret, si quos in XIV ordinibus deprehenderant perperam sedentes, statim hos pellebant; et ille quidem Phasis, quem Martialis V, 8 inducit, videtur eques fuisse. Ejusmodi homo igitur, qualis ille Lectius designator, h. l. *exeat*, *inquit*. Neque vero ad *inquit* subaudiendum est hoc subjectum, sed *inquit* velut sensu passivo ponitur, non hac tantum aetate, quae argentea Latinitatis dicitur, ut Sen. de Benef. III, 10. 18, VII, 8, 2, sed etiam a Cicerone. Cfr. Hor. Sat. I, 4, 79. *De pulvino.* Caligula primus senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, pulvillos substerni jussit; idque postea equitibus etiam concessum videtur. *Res*, patrimonium. *Lenonum pueri.* Designator in percensendis sedilibus negat quemquam debere locum ibi tenere, nisi cui census legitimus suppetat. Sed ii, quos ita fas est in XIV ordinibus sedere, sunt lenonum filii etc. *Fornice*, cella concamerata et subterranea, quales scorta inhabitare solebant. *Nitidi*, quia divitis. Martialis V, 56 Lupo suadet, ut filium, si duri ingenii esse videatur, praeconem faciat. V. Append. Q. *Pinnirapi*, gladiatoris; verbum ex ore vulgi et velut media ex arena petitum non legitur usquam, nisi hoc versu. Simile est *legirupa* et *legirupio*, quod Plautus et Persius habent. Gladiator in arena cum Samnite compositus pinnas, quas in galea gladiatores oriundi e Samnio gestare solebant, vel rapit revera et convellit, vel, quum adversarium vincit, pinnas galeae rapere dicitur. *Juvenes* ita dictum, ut filios lenonum, praeconum, lanistarum per opes a patribus quaesitas ad nobilitatem quandam evectos fuisse adpareat; nam voce *juvenis* Tacitus utitur, quum de principum et virorum nobilissimorum filiis, e. g. de Germanico mentio infertur. Ob id ipsum bis juvenes poëta dicit, quod est invidiae movendae, quia nomen nobilissimo cuique tributum in sordes istas transfertur. *Othoni* Roscio; in Domitianum, qui XIV ordines hominibus infimi generis aperue-

Quis gener hic placuit censu minor, atque puellae
Sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
Quando in consilio est Aedilibus? Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites.
Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi; sed Romae durior illis
Conatus: magno hospitium miserabile, magno
Servorum ventres et frugi coenula magno.
Fictilibus coenare pudet, quod turpe negavit
Translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam,
Contentusque illic veneto duroque cucullo.
Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit nisi mortuus. Ipsa dierum

---

rat, eo tempore, quo haec satira scripta est, invehi non licebat, ut Sat. 4.

151—161 (160—170). *Sarcinulis*, doti. *In consilio* esse vel adesse dicuntur, et inde consilium quoque vocantur judices, assessores magistratus, qui privato vel publico judicio praeest, eosque in consilium adhibet. *Magno* pretio constat *hospitium*, habitatio conducta. *Frugi*, modica. *Negavit* Heinrichius falsum esse judicat; olim fuerunt, qui vel *negabit* vel *negabis* legendum censerent. Mihi vis longe major in praeterito inesse videtur: ille n. q., quem in Urbe fictilibus coenare pudet, subito quondam itinere quum ad Marsos venisset, famem satis habuit quoquo modo pellere, etiamsi in hospitiis non essent nisi fictiles patinae, catini et lances. *Contentusque sq.* Ut in itinere per montanas regiones faciendo sagum cucullo aptum, satis idoneum sibi esse vidit, haud secus illas quoque mensas rusticas probavit. *Veneto*, coloris subviridis, marini. *Duro*, crasso. Seneca Lucilio Ep. 18 praecipit: Interponas (Saturnalibus) aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo, dura atque horrida veste dicas tibi: hoc est, quod timebatur?

162—170 (171—179). *Si verum admittimus*, quanquam togati dicuntur, qui Italiam incolunt. *Togam* tunica molestiorem. Saturnalibus nobiliores quoque viri togam exuebant. Sen. Ep. 18. Cfr. Mart. XIV, 141. Spartianus Hadr. 22: Senatores et equites Romanos semper in publico togatos esse jus-

Festorum herboso colitur si quando theatro
Majestas, tandemque redit ad pulpita notum
Exodium, quum personae pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans,
Aequales habitus illic similemque videbis
Orchestram et populum: clari velamen honoris,
Sufficiunt tunicae summis Aedilibus albae.
Hic ultra vires habitus nitor; hic aliquid plus,

---

sit, nisi si a coena reverterentur. — Pauperi toga, quam Romae gestare opinio jubet, eo magis est invisa, quod magno pretio paratur. *Mortuus.* In Italia mortui toga, ut in Graecia pallio, operiebantur, et quidem censores purpurea, magistratus summi praetexta, cives honestiores candida. *Herboso*, non ligneo aut lapideo, sed gradibus e cespite factis; ejusmodi theatrum describit Virg. Aen. V, 286 sq. *Si quando*, quia homines rusticani multo ante exspectatione suspensi fuerunt. *Majestas dierum festorum*, dies illi festi magnifici et solemnes. *Pulpita*, scenam. *Exodium* pro fabula Atellana; cfr. Liv. VII, 2. *Notum*, non novum, sed saepius recantatum; nihilominus genus hominum simplex et agreste novam subinde voluptatem ex eo capit. *Personae*, quam Hor. Serm. I, 5, 64 larvam adpellat. *Pallentis*, quia personae, quibus histriones faciem obtegebant, sive ligneae fuerunt (Virg. Georg. II, 387), sive fictiles, non verum et nativum oris humani colorem referebant. *Hiatum*, os patulum labris prominentibus. Martialis XIV, 176 personam inducit loquentem de sese:

Sum figuli lusus, rufi persona Batavi:
Quae tu derides, haec timet ora puer.

Haud aliter Seneca de const. sap. 4: More puerorum, quibus metus incutit personarum deformitas et depravata facies. Idem Ep. 24, 12. *Orchestram*, eos, qui in orchestra, loco theatri honoratissimo, sedent, decuriones et senatores municipii vel coloniae. *Velamen.* Ut apud Livium XXIV, 30; XXIX, 16 rami oleae, quos veniae clementiaeque orandae caussa gerunt, velamenta supplicum vocantur. Sic h. l. *alba* tunica insignes prodeunt summi in civitate magistratus, Aediles. *Summis*, ut apud Horatium Serm. I, 6, 72. 73: Magni pueri [illegible]turionibus orti. Municipalis admiratio ejus fastigii [illegible]

Quam satis est, interdum aliena sumitur arca.
Commune id vitium est: hic vivimus ambitiosa
Paupertate omnes. Quid te moror? Omnia Romae
Cum pretio. Quid das, ut Cossum aliquando salutes?
Ut te respiciat clauso Vejento labello?

171—180 (180—189). *Hic*, Romae. *Habitus*, vestimenti. *Arca* vel vestiaria vel nummaria. Ubi deest adjectivum, nummaria potius intelligitur, ut Sat. 1, 90, quo loco poëta ad ludum aleae non loculos, sed arcam, i. e. majus nummorum receptaculum, afferri aït. Seneca Ep. 26, 7: Scis cujus arca utar. *Quid das?* Non est janitoris de introitu paciscentis, sed Umbricii. Si janitor interrogaret, nec *aliquando* hoc versu posset adjici, nec quod est in sequenti *clauso labello*. *Quid das* i. e. quanti constabit vel tibi vel alii? Martialis V, 51 ejus generis hominem insolentem tam Ave Latinum quam *χαῖρε* Graecum, licet fidiculae cogant, exprimere posse negat. Homo garrulus apud Horatium Serm. I, 9, 57:

Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram.

Sen. de const. 14: Quid ergo? sapiens non accedet ad fores, quas durus janitor obsidet? Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur, et illum, quisquis erit, tanquam canem acrem, objecto cibo leniet, nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans, et in pontibus quibusdam pro transitu dari. Id. ib. 15: Domus haec sapientis angusta, sine cultu, sine strepitu, sine apparatu, nullis observatur janitoribus, turbam venali fastidio digerentibus, i. e. e turba salutantium, quos contemtim habent cunctos, eos eligentium et admittentium, qui ut intromittantur, munera offerunt. Cfr. Tac. Ann. IV, 74. *Cossus*, *Vejento*, viri nobiles, potentes. Hunc inter adulatores Domitiani Sat. 4 memorat. *Clauso labello*, v. quod ad versus 123 (126) sq. e Sen. de brev. 14 allatum est. Pallas libertus Tac. Ann. XIII, 2 nihil se domi aït nisi nutu aut manu significasse, vel si plura demonstranda essent, scripto usum, ne vocem consociaret. *Metit barbam amati.* Dio Cassius p. 998 de Nerone: *Μετὰ δὲ ταῦτα ἕτερον αὖ εἶδος ἑορτῆς ἤγαγεν. Ἐπεκλήθη δὲ Ιουβενάλια* (Juvenalia. Tac. Ann. XIII, 15) *καὶ ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ γενείῳ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τοῦτο τότε πρῶτον ἐξύρατο· καὶ τάς γε τρίχας εἰς σφαίριόν τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν ἀνε-*

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
Plena domus libis venalibus! Accipe, et istud
Fermentum tibi habe! praestare tributa clientes
Cogimur et cultis augere peculia servis.
Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?

θηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ. Olim hoc Romanis usitatum, ut quum prima barbae lanugo filiorum familias tondebatur, festus ille dies haberetur, et crines detonsi deo alicui consecrarentur. Haec autem pars est publicorum malorum, quod homo nobilis servum aliquem in deliciis habet adeo, ut in eum conferat, quod antea filiis familiarum tribuebatur. Itaque cliens propter servum aditu prohibetur. Praeterea, quod magis est indignum, ne janitoris gratia excidat, ut, quum posthac iterum salutatum venturus est, dominum convenire ei liceat, *liba*, placentas sacras, quibus *plena est domus*, emere eum oportet. Nam posteaquam diis oblata fuerunt liba, familiae redduntur comedenda. Servi autem eum cibum fastidiunt, ut vilem atque insulsum; eoque *venalia* sunt liba. Cliens, ut patroni servos habeat fautores, aut emere liba cogitur, aut dono data accipere, ejusque muneris gratiam praesenti numerata pecunia referre. *Accipe* liba venalia, aestuans ira. *Fermentum*, illas placentas devora, unde animus tuus fervescet. *Cultis*, insigniter vestitis. *Augere peculia.* Sen. Ep. 80: Peculium suum, quod comparaverunt (servi) ventre fraudato, pro capite (libertate) numerant.

181—187 (190—196). Parvis in oppidis sarta sunt tecta et bene munita; Romae ruina aedium semper metuenda. *Gelida* Hor. Od. III, 4, 22. *Tibicine*, de quo Festus: Tibicines in aedificiis dici existimantur a similitudine tibiis canentium. Ovidius Fast. IV, 695 de muliere rustica:

Haec — verrebat stantem tibicine villam.

Stieglitz Archäologie der Baukunst p. 103: Es war auch bei den Römern das Fachwerk gewöhnlich, das aus Ständern und Riegeln besteht, und dessen Felder, (die innerhalb der Ständer und Riegel befindlichen Räume) mit Steinen und Ziegeln ausgesetzt wurden. Vitruv wünscht, dass es lieber nicht erfunden worden, weil es .... einer Stadt vielen Nachtheil bringen könne, da es leicht vom Feuer angegriffen werde und dasselbe

Nos urbem colimus tenui tibicine fultam
Magna parte sui. Nam sic labentibus obstat
Villicus, et veteris rimae quum texit hiatum,
Securos pendente jubet dormire ruina.
Vivendum est illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus. Jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon; tabulata tibi jam tertia fumant;

---

leicht weiter verbreite. Unstreitig wurde das Fachwerk nur im Innern der Gebäude gebraucht etc. Quae Stiegl. h. l. de parietum contignationibus refert, maxime idonea sunt ad nostrum locum interpretandum. Tibicines enim hae ipsae contignationes vocantur, quae unam trabem erigunt mediam rectamque, cujus a capite duae angulis acutis utrimque descendunt. Mediam trabem viro tibicini, duas istas tibiis comparaveris, quibus ille canit. Hoc autem aedificandi genus contemtum fuisse apud Romanos Mart. IX, 76 docet. Ceterum quae habet Stieglitzius l. l. apud Vitruvium neque in edit. Schneideriana neque in aliis tribus invenire mihi contigit. *Villicus* per metaphoram pro eo, cui dominus suarum aedium magisterium injunxit. Refertae sunt domus in multa tabulata sublatae pauperibus, qui partes earum aliquas conduxerunt. Hi omnes velut grex servorum rusticanorum unum illum respiciunt; non enim credibile est, superbos tectorum dominos per se res illas curavisse. Villici autem, ut est apud Columellam de R. R. XII Praef., in locum dominorum successerunt. Eosdem Cato de R. R. 5 jubet curare, ne familiae male sit, ne algeat, ne esuriat. His ab officiis petita figura nomen villici et nostro loco in magistrum domus et Sat. 4, 77 in praefectum urbis transfertur. *Veteris rimae hiatum*, rimam olim hiantem; *quum texit*. Nescio utrum praesens verbi *texere*, an perfectum verbi *tegere* rectius judicaveris. Nam hoc quoque nexui sententiae consentaneum est: magister aedium tegere mavult rimam, quam sarcire. *Pendente*, impendente.

188—193 (197—202). *Frivola*, res viliores, pretiosioribus antea jam alio deportatis. *Transfert* in domum aliam, postquam sua incendio correpta est. *Ucalegon* pro eo cujus aedes ardent, nomine ex Virg. Aen. II, 312 depromto. Dominus aedium erat proximus illi, qui partem aedium conduxit, sed per immanem quandam vecordiam ne in mentem quidem ei venit, miserrimum istum e somno excitare. *Tabulata tertia*, summa pars, coena-

Tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae.
Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
Ornamentum abaci; nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron;
Jamque vetus Graecos servabat cista libellos,
Et divina opici rodebant carmina mures.
Nil habuit Codrus. Quis enim negat? et tamen illud
Perdidit infelix totum nihil; ultimus autem

---

culum. *Tibi*, ubi tu habitas. *Nam* dominus aedium, quae ejus est vecordia, habitantes in coenaculo tum demum putat vitae suae discrimen adituros esse, quum incendium infra ortum totas aedes fuerit pervagatum. Tum vero actum esse de iis praecluso effugio non cogitat. *Gradibus ab imis*, ab ima parte domus *trepidatur*, fuga trepida homines se recipiunt. *Tegula*. Suetonius quoque Ill. Gramm. 9 de Orbilio hoc scribit: Jam persenex pauperem se et habitare sub tegulis quodam scripto fatetur.

194—202 (203—211). *Codrus* apud Martialem non semel nominatur ut homo paupertate laborans. *Procula minor*, lectus tam brevis, ut ne uxor quidem Codri in eo posset recubare. Sic visum interpretibus. At nescio an rectius Proculam pro muliere acceperis, quae eo tempore Romae non minus nota fuerit propter corpus pusillum, quam vel Corbulo v. 242 (251) per proceritatem, vel Hispulla (Sat. 12, 11) per obesum corpus. Nil enim locus ipse habet, unde uxorem fuisse Codri recte colligas. Ipsa potius Codri supellex caelibem poëtam videtur indicare. *Urceoli* in abaco positi. *Cantharus*, vas vinarium ansatum. *Sub eodem marmore*, abaco, qui e lapide albo (Hor. Serm. I, 6, 116) fiebat. *Chiron*, sigillum Chironis Centauri, arte musica praecellentis. Quae apud viros illustres magnifica sunt, statuae, bibliothecae, eadem apud poëtam egenum (Sat. 1, 2) minuta et abjecta: unum sigillum humi positum, libri Graeci non per armaria vel pluteos cuneosque dispositi, sed in vetere cista latentes. *Divina carmina* aut Graecorum aut per ironiam Codri poëtae, qui (Sat. 1, 2) Theseïdem invita Minerva composuerat. *Opici*, barbari, ab omni humanitatis cultu alieni. *Quis enim negat?* Per ellipsin hoc dictum est. Nam postquam *nil habuisse*

Aerumnae cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.
Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater,
Pullati proceres, differt vadimonia Praetor;
Tunc gemimus casus Urbis, tunc odimus ignem.
Ardet adhuc, et jam occurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas. Hic nuda et candida signa,
Hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycleti,
Phaecasiatorum vetera ornamenta deorum,

Codrum fuit adfirmatum, Umbricius velut cogitantem inducit quendam, non opus esse, de Codro id tam valde affirmare; nam *quis negat? Illud totum nihil.* In Andria Terentii 2, 1, 14 Charino dicenti: Interea fiet *aliquid*, spero — Byrrhia respondet: Id *aliquid* nihil est. *Cumulus* vocatur in modio, quod super justam mensuram adjicitur. *Nudum*, amissa per incendium omni supellectili. *Frusta* panis.

203—213 (212—222). *Asturici*, viri illustris. Nomen alioquin haud notum. *Horrida mater*, omnes matronae lugent. *Differt vadimonia*, eam diem, qua rei in judicio comparere jussi erant datis vadibus. *Casus* v. Append. M. *Marmora*, columnas marmoreas, postes, ut Hor. Od. III, 1, 45 ait, invidendos. In columnis marmoreis Romanorum luxus non minus quam in statuis et tabulis conspiciebatur. Cfr. Sat. 14, 60. 307. L. Crassum oratorem primum peregrini marmoris columnas habuisse, in iisque sex Hymettias, Callistum vero Claudii Caesaris libertum XXX columnas de onyche factas in coenatione sua posuisse Plin. H. N. XXXVI, 3, 12 tradit. *Nuda et candida signa*, statuas. Plin. H. N. XXXIV, 10: Togatae effigies (virorum clarorum et bene meritorum) antiquitus dicabantur. Placuere et nudae tenentes hastam, quas Achilleas vocant. Graeca res est, nihil velare; at contra Romana ac militaris, thoraca addere. *Candida*, nitentia. *Euphranor et Polycletus*, pictores iidemque statuarii celeberrimi. Antiqua et externa, ut nunc quoque fit, Romani omnium maxime et admirabantur et expetebant. *Phaecasiatorum.* Phaecasia εἶδος εἶναι ὑποδήματος γεωργικοῦ Hesychius, iisdem usas esse mulieres cultas Petronius tradit. Nil autem obstat, quominus in calceorum urbanorum genus aliquod nomen isthinc translatum esse credamus. Deos phaecasiatos

Hic libros dabit et forulos, mediamque Minervam,
Hic modium argenti: meliora et plura reponit
Persicus orborum lautissimus et merito jam
Suspectus, tanquam ipse suas incenderit aedes.
Si potes avelli Circensibus, optima Sorae

---

oportet esse eos, quos id calceorum genus a reliquis discernit. Heinrichius phaecasiatos docte dici pro crepidatis, i. e. pro statuis Deorum Graeco amictu censet. At crepidam soleae esse proximam docti omnes affirmant; phaecasium non soleae, sed calcei genus, eoque pedem ipsum clausum fuisse, pluribus locis, ut Petr. Sat. 67 apparet. Praeterea, si phaecasiatos pro statuis Graecum in modum amictis accipimus, nil actum esse nemo non fatebitur. Nam Euphranoris quoque et Polycleti signa eo amictu, seu palliata fuisse quis dubitaverit? Denique, si qui Deorum, ut Mercurius, pedum integumentis distinguebantur, tamen gentilitates Deorum diversas hoc nomine indicare merae hallucinationis fuisset. Nam phaecasio Graeci ab Italis non aeque distinguebantur, ac pallio. Mihi Dii phaecasiati esse videntur ii, quos Horatius Ep. II, 2, 180 nomine Tyrrhenorum sigillorum induxit. O. Mueller Etrusc. II, 251 haec aenea fuisse existimat, et Tuscanica illa signa per terras dispersa, quorum mentionem facit Plinius H. N. XXXIV, 26, Deorum simulacra fuisse prope omnia putat. Jam quotquot olim libros inspexi (quoniam nunc haud licet) qui artis Etruscae monumenta habent adumbrata, ii omnes, si bene memini, figuras exhibent plurimas non calceatas tantum, sed etiam caligatas: ut hoc artis Etruscae paene proprium fuisse dixeris, signa sua calceare *). Ligno caligata duo sigilla aenea haud procul Mantua et Cremona urbibus effossa fuisse Ephemerides literariae Halenses anni 1836 (Intell.-Blatt N. 28, p. 234 sq.) retulerunt. Mihi phaecasiatos pro Tyrrhenis seu Etruscis posuisse videtur Juvenalis; *ornamenta* vero pro sigillis. Nam ornamentum est, quod speciei augendae gratia ad rem aliam accedit. Atqui *sigilla*, seu statuas minutas Deorum peregrinorum ornamenta recte dixeris. *Mediamque Minervam*, Hermathenam, qualem Cicero Ep. ad Atticum I, 4 se accepisse gaudet. Media pro dimidia, ad humeros usque efficta. *Meliora et plura*, quam ante incendium, quo domus ejus absumta fuit.

---

*) Quod opus hoc ipso tempore Hamburgi editur, *Herculanum und Pompeji, 137ste bis 140ste Lieferung, Bronzen* I, 106 habet sigillum Dei Etrusci phaecasiatum.

Aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur,
Quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
Hortulus hic, puteusque brevis nec reste movendus
In tenues plantas facili diffunditur haustu.
Vive bidentis amans et culti villicus horti,
Unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
Est aliquid, quocunque loco, quocunque recessu,
Unius sese dominum fecisse lacertae.
Plurimus hic aeger moritur vigilando; (sed illum
Languorem peperit cibus imperfectus et haerens

214—222 (223—231). *Circensibus.* Noster Sat. 10, 78:

> (Populus) qui dabat olim
> Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
> Continet atque duas tantum res anxius optat,
> Panem et Circenses.

Idem Sat. 11, 52:

> Ille dolor solus patriam fugientibus, illa
> Moestitia est, caruisse anno Circensibus uno.

Plin. Ep. X, 6: Circenses erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nil novum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quo magis miror, tot millia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. *Sora, Fabrateria, Frusino,* parva oppida Latina. *Paratur,* emitur tanti, *quanti. Tenebras,* domicilium obscurum. *Nec reste movendus,* puteus adeo non profundus, ut manu possis vasa implere. *Bidentis,* rastri *amans,* in agrum colendum intentus. *Pythagoreis,* qui oleribus potissimum vescebantur. Versus 222 (231) ita scribendus, si quod nunc est in usu sequimur:

> Unius sese dominum fecisse — lacertae.

Nam paradoxon est, ut illud, quod Aristoteles Rhet. III, 11 habet:

> — — ἔστειχε δ' ἔχων ὑπὸ ποσσὶ χίμετλα.

Secundum istud versus initium exspectares, unius vel jugeri vel scripuli vel bovis vel capellae se dominum fecisse. Id exspectantes fallit illa, quam extremam habet, vox *lacertae.*

223—229 (232—238). *Hic,* Romae. *Illum languorem;* ut aegrotarent, plerique incontinentia et intemperantia meruerunt.

Ardenti stomacho). Nam quae meritoria somnum
Admittunt? Magnis opibus dormitur in Urbe.
Inde caput morbi. Redarum transitus arto
Vicorum inflexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis.
Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, et ingenti curret super ora Liburno,
Atque obiter leget aut scribet vel dormiet intus;

Imperfectus, non concoctus, quia stomachus nova subinde congerie ciborum oppletur. *Ardenti stomacho.* Sen. Ep., 95, 26: Quid? illa purulenta, et quae tantum non ab ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa in ipsis visceribus exstingui? Scias putrescere sumta, non concoqui. De hoc genere luxus v. etiam Sen. Ep. 78, 22 et Append. C. Ceterum ea, quae de caussis morborum dicuntur, per parenthesin inferuntur. *Meritoria* coenacula, ea scilicet, quae a pauperibus habitandi caussa conducuntur. *Magnis opibus.* Non dormitur in Urbe, nisi ab iis, qui magnas opes habent. V. Append. S. *Inde*, ab opulentis, quorum ad necessitates et libidines implendas undique concurritur. *Stantis mandrae*, magni vel armentorum vel pecorum gregis, qui ab iisdem redis aliquantisper consistere cogitur; Genitivus est subjecti: pro gregis istius vel mugitu vel balatu *convicia* ponit poëta, Ovidii, Columellae, Saleji Bassi auctoritatem secutus. Ov. Metam. VI, 676. Colum. de C. H. 12. Sal. B. C. ad Pis. 258. *Druso* Claudio Imperatori somniculoso et subsurdo. Suet. Claud. 8 et 33. Sen. de M. Claudii 12: Erat tibicinum, cornicinum, omnisque generis senatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.

230—239 (239—248). *Vehetur* lectica. *Ingenti Liburno.* Ditiores a servis sex vel octo iisque proceris lectica gestabantur. Numero lecticariorum nobilitas virorum feminarumque illustrium aestimabatur. Sen. de const. 14: Quid refert, quantum habeat, quot lecticarios, quam oneratas aures, quam laxam sellam? Ablativus *Liburno* ut Hor. Ep. I, 19, 13 *textore*. *Curret super ora.* Sen. Ep. 80: Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supraque turbam delicatos lectica suspendit. Plin. Paneg. 24: Ante te (Trajane) principes — usum pedum amiserant. Illos ergo humeri cervicesque servorum su-

Namque facit somnum clausa lectica fenestra.
Ante tamen veniet; nobis properantibus obstat
Unda prior, magno populus premit agmine lumbos,
Qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro
Alter; at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
Pinguia crura luto, planta mox undique magna
Calcor, et in digito clavus mihi militis haeret.
Nonne vides, quanto celebretur sportula fumo?

---

per ora nostra, te gloria, te civium pietas, te libertas super ipsos principes vehunt. *Clausa fenestra.* Media in turba et strepitu ille, qui lectica gestatur, secretus et securus recubat; nam lectica habet vel vela seu plagas, vel etiam fenestras lapide speculari factas, quae quum clausae sunt, omnem in publico strepitum inhibent, ut placidus ille fremitus somnum quoque invitet. Hinc Sat. 4, 21 mulier clauso latis specularibus antro vehi dicitur. *Tamen*, quanquam immoto corpore sopitus. *Assere*, amite eo sive vecte, quo lecticarii ad gestandas lecticas utuntur. Qui bajulorum mansuetius agebant, eos in vicis, ne obvii offenderent, „porro Quirites!“ clamitavisse Tertull. adv. Valent. 14 docet. Hic autem sibi quisque festinat aliorum incuriosus. Sen. de clem. I, 6: Cogita te in hac civitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quoties aliquid obstitit, quod cursum ejus velut torrentis rapidi moraretur..... Idem de Tranq. 12. *Clavus militis* e caliga militari, milite pedem ejus calcante.

240—247 (249—256). Jam a primo mane illa concursatio coepit fieri, qua alii alios impellunt et praecipitant. Itaque scena mutata alium in vicum Urbis traducimur circa horam diei primam vel secundam. Duo sunt, quibus poëta nos advertere jubet, primo concurrens ad divitis domum turba clientium, deinde pericula transeuntibus a plaustrorum concursu imminentia. Sed neque turba ipsa aut colluvies, nec plaustra vere infesta sunt; ab inhumanitate sola, quae totius civitatis animos invasit (Sat. 15, 159 sq.), in vitae nostrae discrimen adducimur, quotiescunque in publicum processimus. *Quanto fumo.* Fumus ingens per fores emissus plurimis una clientibus sportulam parari indicat. *Sportula*, prandium, quod in domo patroni clientibus hora prima vel secunda (Sat. 1, 128) obfertur, ita tamen, ut

Centum convivae; sequitur sua quemque culina.
Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
Impositas capiti, quot recto vertice portat
Servulus infelix, et cursu ventilat ignem.
Scinduntur tunicae sartae. Modo longa coruscat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt; nutant alte populoque minantur:

---

illi suam quisque partem secum auferant. Sat. 1, 95 sq. docet, datas esse in ipso aedium vestibulo sportulas (cfr. Lucian. Nigr. 22), nec defuisse Praetores, Tribunos inter greges clientium sportulas circa domos opulentas expetentium. *Centum convivae*, clientes ventris implendi cupidi ad domum patroni undique festinant. *Sequitur sua quemque culina.* Qui servum habet, eo pedisequo utitur, per eumque portionem suam asportandam curabit. Qui caret servo, corbiculam manu tenet, per sese, quod acceperit, domum relaturus. Et servum et corbiculam nomen *culinae* licet ferre. Nam si Sen. Ep. 78, 22 accuratius perpendimus, hoc loco tam servos coquos, quam vasa culinaria per culinam indicari fatebimur. Idem cum epulis ipsis Hor. Serm. I, 5, 38 eadem voce exprimi crediderim. Per januam apertam in vestibulum a vico prospicitur: quo per cavaedium ex atrio videmus intrare servum patroni, eumque vilem, non cultum, nec domino carum (v. App. E.), qui totum prandium clientibus distribuendum capite fert suspensum: inde clientes ipsi certantes, ut priores intrent (Sat. 1, 102), in ipso limine vestibuli alii alios premunt urgentque. *Corbulo.* Tac. Ann. XIII, 8: corpore ingens. *Recto vertice*, in capite tantum onus immota cervice sustinens. *Ignem* carbonum lancibus subjectorum, ne cibaria tepescant. *Scinduntur tunicae*, in ista concursatione et festinatione limen invadentium. *Sartae*, pauperum; nam lacernae aliorum et togae sunt firmiores. Dum igitur ea turba in vestibulum domus opulentae se insinuat, alia quaedam species ibidem loci offertur. Nam statim alia turba ultro citroque cursantium eum locum replet, quem clientes cum servis ante vestibulum occupaverant. At plaustra truncas arbores vehentia, forsan e diverso eundem in locum deveniunt, populumque diffugere cogunt. Spartianus in Hadriano 22: vehicula cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi prohibuit.

Nam si procubuit qui saxa Ligustica portat
Axis et eversum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
Invenit? Obtritum vulgi perit omne cadaver
More animae. Domus interea secura patellas
Jam lavat, et bucca foculum excitat, et sonat unctis
Striglibus, et pleno componit lintea gutto.

248—258 (257—267). *Eversum montem*, per hyperbolen et synecdochen dictum. E lapicidinis, quales erant Lunae, urbe Etrusca, montes quasi integri Romam asportantur. *More animae*, adeo ut de corpore nil quod captes (Virg. Aen. VI, 702 sq.) supersit; ut corpus non minus sit tenue quam anima. *Domus*, familia ejus, qui hunc in modum periit, balneum ac coenam praeparat. Nemo enim aut respicit aut novit corpus obtritum; homo erat de vulgo, nullo comitatu, obscurus, eoque domum ejus nil de casu domini nuntiatur. *Bucca*, inflatis buccis. *Sonat.* Fulv. Ursinus App. p. 147: Utebantur in balneis tum ad fricandum corpus sudoremque eliciendum, tum ad abstergendas sordes, aenea strigili, cujusmodi multae reperiuntur in antiquis ruderibus thermarum. Idem p. 152: Sed pro strigilibus delicatiores homines spongiis interdum uti solitos fuisse tradit Plinius. *Unctis* ex oleo, quod in corpore haerebat. *Pleno componit lintea gutto. Guttus*, λήκυθος, alioqui ampulla, vas ferme vitreum, rotundum, ventre turgido, ore angusto, vino vel oleo guttatim emittendo aptum. Heinrichius h. l. vas esse aquae infundendae, et hunc fuisse ordinem lavandi dicit: balneum, unctionem, strigilum usum, ablutionem per aquam calidam, abstersionem: quod ille locis e Petronio allatis nequaquam probavit. Non eundem omnibus in lavando ordinem fuisse, et per se est verisimile, et Beckeri Gallus II, 45 sq. aliique loci perhibent. Duplicem fuisse unctionem crediderim, usu strigilum interposito. Et prior quidem unctio fiebat ante balneum curandi corporis gratia, atque ut omnia immunda de cute tollerentur. Cfr. Sen. Ep. 86, 10, quae ille de Scipione habet. Hinc Arrianus Comm. de Epict. disp. IV, 11 ad purgandum corpus non aquam solum atque oleum et alia complura, sed etiam nitrum adesse refert. Hoc enim oleo admixto erat pro smegmate, quod Plinii Majoris loci complures ut non ignotum Romanis ita non promiscue in usu fuisse docent. Idem (quod Plinius habet XXXI,

Haec inter pueros varie properantur; at ille
Jam sedet in ripa, tetrumque novicius horret
Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum,
Infelix, nec habet quem porrigat ore trientem.
Respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
Quod spatium tectis sublimibus, unde cerebrum
Testa ferit, quoties rimosa et curta fenestris
Vasa cadunt; quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. Possis ignavus haberi
Et subiti casus improvidus, ad coenam si
Intestatus eas. Adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves.
Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum

46, 4), ciet sudores cum oleo perunctis, corpusque emollit. Igitur uncti calida lavabantur, deinde distringebantur, ut quidquid sordium e sudore vel ex unctione superesset, per strigiles auferretur. Inde alii aqua frigida corpus mergebant, alii et delicatiores quidem illi, ut Trimalchio Petron. Sat. 28 unguentis perfundebantur. Unctioni tam priori quam posteriori gutti sive ampullae inserviebant. *Novicius*, rudis inferni moris. *Porthmea*, Charontem quasi portitorem regni inferni. *Coenosi gurgitis*, Stygis. *Alnum*, non licet ei sperare, se tramissum iri Charontis cymba. *Nec habet*, quia non habet.

259—268 (268—277). A versu 223 (232) ad 258 (267) usque metus diurni recensentur; dehinc nocturni. *Quod spatium.* Respice, quanta sit altitudo. *Unde.* Si e loco tam sublimi testa cecidit, ea quamvis levi cerebrum percutitur. *Curta*, mutilata. *Cadant*, projiciantur, quia inutilia. *Silicem*, quo via domum infra strata est. *Tot fata*, totidem ad mortem viae.

269—278 (278—288). *Qui nullum forte cecidit*, qui grassans per Urbem noctu et rixae cupidus casu quodam in neminem inciderat, quem plecteret. *Dat poenas*, misere cruciatur ob id ipsum. *Noctem Pelidae*, non magis somno sopitur, quam

**Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire? Quibusdam
Somnum rixa facit; sed quamvis improbus annis
Atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina laena
Vitari jubet et comitum longissimus ordo,
Multum praeterea flammarum et aënea lampas;
Me, quem luna solet deducere vel breve lumen
Candelae, cujus dispenso et tempero filum,
Contemnit. Miserae cognosce prooemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.
Stat contra starique jubet; parere necesse est.
Nam quid agas, quum te furiosus cogat et idem
Fortior? Unde venis? exclamat: cujus aceto,
Cujus conche tumes? quis tecum sectile porrum
Sutor et elixi vervecis labra comedit?
Nil mihi respondes? Aut dic, aut accipe calcem.**

Achilles lugens Patroclum Iliad. XXIV, 10. 11. Plato Resp. III, 388. *Improbus*, ferox per aetatem juvenilem. *Coccina*, seu coccinea *laena*, nobilitatis signum. Conchyliatos Seneca Ep. 62 opponit seminudis. Suet. Jul. C. 43: Lecticarum usum, item conchyliatae vestis et margaritarum, nisi certis personis et aetatibus, perque certos dies, ademit. — Viros insignes, qui magno comitatu, facibus et candelabro praelucentibus, a coena domum redeunt, ille adgredi non audet. *Deducere*, comitari. *Dispenso*, parce habeo. *Tempero*, coërceo, ne citius, quam opus est, flamma candelam absumat.

278 — 286 (288 — 296). *Prooemia*, proprie praeludia citharoedorum, deinde exordia oratorum. *Si rixa est*, quod rixa est contentio duorum velut aequis viribus altercantium. *Cujus* cauponis *aceto*, vino acido, *cujus conche*, faba cocta, *tumes*, ventrem implevisti? *Sectile porrum*. Mart. XIII, 18:

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clausa dato.

Itaque grassator ei oris foetorem exprobrat. *Accipe calcem*. Neronis, qui (Tac. Ann. XIII, 25) juvenibus noctu per vias Urbis grassandi auctor fuerat, haec urbanitas erat. Suet. Nero 35:

Ede, ubi consistas? in qua te quaero proseucha?
Dicere si tentes aliquid tacitusve recedas,
Tantundem est; feriunt pariter, vadimonia deinde
Irati faciunt. Libertas pauperis haec est:
Pulsatus rogat, et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen haec tantum metuas: nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.

Poppaeam ictu calcis occidit, quod se, ex aurigatione sero reversum, gravida et aegra conviciis incesserat. *Ede*, dic, *ubi consistas*, in qua taberna soleas versari, venalibus rebus expositis. *Proseucha*. De προσευχαῖς Philo tum aliis locis refert, tum Leg. ad Cajum p. 1011, ubi de Alexandria sermo est: πολλαὶ δέ εἰσι καθ' ἕκαστον τμῆμα τῆς πόλεως· τὰς μὲν ἐδενδροτόμησαν (Alexandrini), τὰς δὲ αὐτοῖς θεμελίοις κατέσκαψαν, εἰς ἃς δὲ καὶ πῦρ ἐμβαλόντες ἐνέπρησαν, ἀλογήσαντες καὶ τῶν πλησίον οἰκιῶν. Hinc proseucham non modo locum arboribus consitum, sed etiam aedificium fuisse adparet, non diversum ab eo, quod hodie synagogam adpellant. *In qua te quaero proseucha?* idem est, ac si dixisset: nam tu es Judaeus; non quo Judaicam ei superstitionem crimini dare vellet, sed ut sordidissimum ac contemtissimum esse hominem significaret. Haec quoque contumelia, ut illae priores, per figuram interrogandi infertur.

287—291 (297—301). *Vadimonia faciunt*, in jus vocant, quasi ultro lacessiti.

292—304 (302—314). *Qui spoliet te.* Nocturnos in Urbe praedones Horatius quoque Sat. I, 2, 43 memorat, et Pedo Albin. El. in Ob. Maec. 29:

Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
Quis tetigit ferro durior ipse latus?

Et grassatores Urbi, dum civitas in Amphitheatris sedebat, metuendos fuisse etiam interdiu Sueton. Aug. 43 refert. *Catenatae tabernae*, cujus valvae catenis clauduntur, ne effringi repagula possint. Martialis VII, 61 vias Urbis continuis tabernis, et prominentibus coartatas et Domitiani demum edicto id in melius mutatum fuisse refert:

Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.

Interdum et ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutae custode tenentur
Et Pomptina palus et Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude, catenae?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas, ne
Vomer deficiat, ne marrae et sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quae quondam sub regibus atque tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.
His alias poteram et plures subnectere caussas:
Sed jumenta vocant, et sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commota jam dudum mulio virga
Innuit. Ergo vale nostri memor, et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
Me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam

Compago, commissura valvarum. Postquam strepitus ille, quem opifices in valvis tabernarum complicandis solent efficere, conticuit. *Armato custode.* Suet. Aug. 32: Grassatores dispositis per opportuna loca stationibus inhibuit. *Gallinaria pinus*, silva in Campania inter Vulturni ac Literni ostia sita. Gellius N. A. II, 20: *Vivaria* quae nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους Graeci appellant. Plin. H. N. VIII, 78: Vivaria aprorum ceterorumque silvestrium primus togati generis invenit Fulvius Lupinus. Idem IX, 79: Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano. Cfr. Hor. Ep. I, 1, 79. *Qua fornace* sq. In omni fornace graves catenae conficiuntur, quibus grassatores constringantur; sed horum tanta est multitudo, ut illae omnibus continendis non sufficiant. *Maximus — modus.* Ferri omnis, quod e fodinis egestum est, portio maxima in vincula conflanda impenditur.

305—309 (315—319). *Commota virga*, virgam commovendo. *Tuo Aquino*, quia Juvenalis erat Aquinas. *Helvinam Cererem* sq. Cereris et Dianae templa apud Aquinates. Cur Helvina dicatur illa, non liquet. *Convelle*, arcesse. Heinrichius

Convelle a Cumis. Satirarum ego, ni pudet illas,
Adjutor gelidos veniam caligatus in agros.

Satira IV.

Ecce iterum Crispinus, et est mihi saepe vocandus
Ad partes, monstrum nulla virtute redemtum

---

comparare jubet Cic. de Leg. I, 21: Qui (Antiochus) me ex nostris paene convellit hortulis, deduxitque in Academiam. Metaphora sine dubio petita est e signis, quae convelli dicebantur. *Ni pudet illas*, satiras; nisi te pudet, me adjutore uti. *Gelidos in agros* Aquini, ut Virg. Georg. II, 488: gelidis in vallibus Haemi; aut Hor. Od. III, 4: frigidum Praeneste. *Caligatus*, multis symbolis instructus et quasi armatus.

Satira IV.

Duae sunt hujus satirae partes, altera v. 1—36, altera v. 37—154. Et illa quidem a Crispino incipit, tum ad mullum ab eo emtum transit; posterior de rhombo consilium in Albano, deinde brevem de Domitiano conquestionem habet. Eae vero partes vix inter se mihi quidem videntur coire, si non eadem utrique sententia subesse intelligatur. Nam fit inter utramque nexus nimis tenuis ac levis v. 28: *Quales tunc epulas* sq. Nec illud sufficere, quod censet Rupertius: „inde occasionem sumit, Domitiani insectandi" etc., nemo non videt. Qui enim Domitianum insectari coepit mortuum, recenti adhuc immanis belluae memoria, plura et majora in promtu habet. Praeterea de Crispino poëta in ipso introitu ita loquitur, ut et hanc satiram et plures postmodo in istius foeditate adumbranda versaturas esse exspectes. Quod cur omissum sit a poëta, sola conjectura licet assequi. Sed eam ἑνότητα, qua post Lucilium satira carere non

A vitiis, aeger, solaque libidine fortis:
Delicias viduae tantum aspernatur adulter.

---

debebat, in hac nostra desiderari, si poëta, ut ad Domitiani rhombum perveniat, a Crispino verbis adeo grandibus ordiatur, tum probris longe majoribus obiter memoratis hominis in mullo emendo luxuriam taxet, mihi quidem persuasum est. Quo animo Tacitus Agr. 3 scripsit: *Nunc demum redit animus*, et quae statim sequuntur, eodem poëtam nostrum sub idem tempus huic satirae componendae manus admovisse crediderim. Domitianus non multo ante caesus nimis abundantem satirarum scriptori materiam reliquerat. Sed eam in partes digerere et singulas persequi personae ipsius immanitas et recens etiam tum metus non sinit: quare primum omnium simulacra eorum effingit, quibus Domitianus vel ministris vel inermibus et languentibus suae saevitiae testibus usus est. Per eorum simulacra demum poëta, quum plures velut tabulas iis impleturus fuisset, ad effigiem Domitiani exprimendam pervenire in animum induxerat. Ergo, qui ad ejus similitudinem per omnia scelera et flagitia proxime accesserat, Crispinus quasi in proscenio collocatur, ordinemque ducit; et est tam multiplex in omni turpitudinum genere, ut una ei satira nequaquam sufficiat. Itaque paucis eum lineamentis interim describit, ut ad reliquos accedat, qui sub Domitiano insignem in rep. locum obtinuerunt. Hoc igitur censeo: Juvenalis compluribus satiris continuis ingenium ejus temporis adumbrare decreverat, ejusque consilii exsequendi haec satira initium facit, quum Crispinum, Montanum, Vejentonem et reliquos in scenam inducit. Mullus et rhombus ad struendam nectendamque fabulam pertinent, qua Crispinus et reliqui suas quisque suo ex ingenio partes acturi essent.

1—10. *Iterum*, quoniam ejus mentio facta est Sat. 1, 26. *Saepe* rursus *mihi vocandus*, revocandus est *ad partes* in scena agendas; saepe illum in hanc satirarum mearum scenam revocabo. *Nulla*, ne ulla quidem. *Redemtus a vitiis*. Plinius Paneg. 28: Nullam congiarii culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti. *Aeger* opponitur τῷ *fortis*: contritis exesisque animi et corporis viribus adeo, ut ad flagitia tantum acer sit. *Delicias* ut Ovid. Trist. II, 349:

Sic ego delicias et mollia carmina feci —

i. e. amores cecini. Haud aliter Cic. pro Coel. 19: Amores et hae deliciae quae vocantur — nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. *Viduae tantum* ita conjunges, ut dictum

Quid refert igitur, quantis jumenta fatiget
Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,
Jugera quot vicina foro, quas emerit aedes?
Nemo malus felix, minime corruptor et idem
Incestus, cum quo nuper vittata jacebat
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.
Sed nunc de factis levioribus: et tamen alter

putes hoc versu: Crispinus alias omnes venatur; viduas solas *aspernatur adulter*, seu corrumpere ei non libet. *Adulter* non is tantum dicitur, qui alicujus matrimonium polluit, sed, ut Hor. Od. III, 16, 4 de omnibus, qui cum muliere quamquam innupta, dum non sit meretrix, stupri consuetudinem habent. Igitur versus 4 haec erit sententia: omnes ille mulieres, quarum ei forma probatur, corrumpere conatur, exceptis viduis. Quas cur exceperit, Tacitus ostendet, qui Ann. XI, 26 Messalinam nomen matrimonii concupisse dicit, ob magnitudinem infamiae, cujus apud prodigos novissima voluptas est. Item Seneca Ep. 122, 18: Nolunt solita peccare, quibus peccandi praemium infamia est.— Ad viduas facilius acceditur, eaedemque minori infamia corrumpuntur, quam virgines et conjuges: hinc Crispinum ejus generis amorum piget. Haec cogitanti poëtae in mentem venit, ingentes in flagitiosissimum hominem divitias esse congestas; eum, qui ultima supplicia meruisset, opibus et luxuria ultra modum civilem evectum superbire. Quae reputans se ipse consolatur: non est vera, non solida ista felicitas; crusta est, et quidem tenuis, qua morbus internus et animi cruciatus male teguntur. *Quantis porticibus.* Licet ille porticus tam vastas exstruxerit, ut essedo per eas vehi possit ad fatigationem usque jumentorum. *Vectetur*, lectica gestetur. *Nemorum.* Hor. Od. III, 10:

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Intra pulchra satum tecta remugiat?

Vicina foro, eoque pretiosiora. *Incestus*, ob id ipsum, quod virginem Vestalem vitiaverat. *Sacerdos.* Suet. Dom. 8: Corneliam, maximam virginem, absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit. Plin. Ep. IV, 11: Absentem inauditamque damnavit incesti, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset.

Si fecisset idem, caderet sub judice morum.
Nam quod turpe bonis, Titio Sejoque, decebat
Crispinum. Quid agas, quum dira et foedior omni
Crimine persona est? Mullum sex millibus emit,
Aequantem sane paribus sestertia libris,
Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur.
Consilium laudo artificis, si munere tanto
Praecipuam in tabulis ceram senis abstulit orbi.
Est ratio ulterior, magnae si misit amicae,
Quae vehitur clauso latis specularibus antro.

11—17. *Caderet*, damnatus esset, *sub judice morum*. Suet. 8 Domitianum suscepisse morum correctionem refert. Papinius Statius Silv. V, 1, 42 de fido amore conjugali:

Hic amor a Domino meritus censore probari.

Nam ne Domitianis quidem poëtae laudatores desunt. *Titio Sejoque*. His nominibus jurisconsulti utebantur, ut τὸν δεῖνα significarent. *Quid agas*. Fieri non potest, ut praecipuam ejus turpitudinem satira scripta irrideam; nam illius flagitia et scelera satirae fines longe supergressa sunt: atque ob id ipsum circa leviora versor. *Mullum*, quem binas libras ponderis raro exsuperare Plin. ait H. N. IX, 30. Id. ib. et Seneca aliique mullo gratiam maximam apud proceres gulae fuisse memorant. Cfr. Hor. Sat. II, 2, 33. 34. *Sex millibus* nummorum, sive sex sestertiis. *Paribus libris*, quot sestertia pendebat Crispinus, totidem libras habebat piscis. *Ut perhibent*, quod fando non erat auditum, tanti ponderis mullum fuisse unquam visum. Okenius eum piscem ad pedis unius longitudinem raro aït crescere. Sen. Ep. 95, 42: Mullum ingentis formae (quattuor pondo et ad selibram fuisse ajebant) Tiberius Caesar missum sibi, quum in macellum deferri et venire jussisset, amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra spem illi conjectura processit. Licitati sunt: vicit Octavius et ingentem consecutus est inter suos gloriam, quum quinque millibus HS. emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat.

18—27. *Artificis*, hominis astuti. *Praecipuam ceram*, praecipuum locum in testamento; prima cera dicebatur pro tabula prima. *Ulterior*, melior, superior. *Clauso antro*, v. ad

Nil tale exspectes: emit sibi. Multa videmus,
Quae miser et frugi non fecit Apicius. Hoc tu,
Succinctus patria quondam, Crispine, papyro?
Hoc pretio squamae? Potuit fortasse minoris
Piscator, quam piscis, emi. Provincia tanti
Vendit agros; sed majores Appulia vendit.
Quales tunc epulas ipsum glutisse putemus
Induperatorem, quum tot sestertia, partem
Exiguam et modicae sumtam de margine coenae,
Purpureus magni ructarit scurra Palati,

Sat. 8, 231 (240). *Miser et frugi*, si hujus aetatis opes et luxuriam comparamus. Nam Plin. N. H. X, 68 illum Apicium, Tiberii aequalem, nepotum omnium altissimum gurgitem vocat. V. Append. D. *Hoc tu* audes? Crispinus Sat. 1, 26

— pars Niliacae plebis — verna Canopi

dicitur. Hinc *patria quondam papyro succinctus*. Plin. H. N. XIII, 22. 23: Papyrum nascitur in palustribus Aegypti. Ex ipso quidem papyro navigia texunt, et e libro vela tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam et funes. — *Succinctus papyro* est aut vestem indutus succinctam, e papyro factam, aut succinctus fasciis de papyro factis. Sed hoc poëta vult dictum: tu, qui in Aegypto servisti. Nam succinctus idem, quod Hor. Sat. II, 8, 10 alte cinctus. *Hoc pretio squamae* emuntur? *Appulia*, quae, quia partim deserta erat (Sen. Ep. 87, 6) latifundia minimo pretio venalia habebat.

28—36. *De margine.* Qui coenantibus cibos ministrabant, saepe non singulas patinas, sed repositoria, quae dicebantur, mensis imponebant. Repositoria erant primo lignea, luxu autem gliscente vel argentea vel etiam testudinea; in iisque epulae ita dispositae, ut pars aliqua ferculi major, e. gr. lepus, medium locum obtineret, circaque eam et in margine repositorii alia edulia minora posita essent. Hinc igitur petita similitudine Crispinus mullum ita dicitur comedisse, ut is pro *parte exigua et sumta de margine modicae coenae esset.* Mullus ille non praecipuum in ferculis locum sortitus erat, sed velut accessio erat reliquarum epularum; et coena ipsa erat modica, non ultra solitum Crispino. *Ructarit*, per synecdochen, consequens pro antecedente, quod idem Sat. 6, 10 de muliere prisca:

Jam princeps Equitum, magna qui voce solebat
Vendere municipes fracta de merce siluros!
Incipe, Calliope, licet et considere; non est
Cantandum, res vera agitur: narrate, puellae
Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas!
  Quum jam semianimum laceraret Flavius orbem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni,
Incidit Adriaci spatium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon,
Implevitque sinus; neque enim minor haeserat illis,
Quos operit glacies Maeotica, ruptaque tandem

— saepe horridior glandem ructante marito.

Princeps equitum, seu ut Vellejus de Sejo Strabone, princeps equestris ordinis. Nam Crispinus sub Domitiano erat praefectus praetorio, isque erat summus gradus equester. *Municipes siluros*, quod id genus piscium frequens in Nilo. *Fracta de merce.* Crispinus quo tempore serviebat, viles siluros eosque per viam mutilatos atque a cetariis venundatos rursus aliis vendebat. Okenius in macello Cairensium siluros venire in frusta dissectos refert, eoque potissimum cibo homines vesci per illos menses, quibus Nilus terram inundet. Ceterum Heinrichius id quod est inter lect. var. *farta* verius esse quam *fracta* monet. *Licet et considere*, i. e. non jubeo te stando fatigari, quod oportet eos, qui canunt; commodius et facilius est, quod te posco, quam quod alii poëtae rogare solent; narrare enim te volo rem ut acta est, non canendo amplificare, quod majoris contentionis futurum esset. *Prosit mihi*, bene narrando gratiam mihi referte.

37—44. *Calvo Neroni.* Tertullianus Domitianum Apol. 5 portionem Neronis de crudelitate, et de Pall. 4 Subneronem vocat. Domitianus teste Suetonio pulcher ac decens in juventa, postea calvitio quoque deformis erat et obesitate ventris et crurum gracilitate. *Spatium admirabile rhombi*, rhombus mirae amplitudinis, ut infra v. 81: Crispi senectus; v. 107: Montani venter. *Incidit implevitque sinus* retium. *Haeserat*, captus erat. *Quos operit glacies.* Ovidius de Ponto Euxino Trist. III, 10, 49:

Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,
  Et pars ex illis tunc quoque viva fuit.

Solibus effundit torpentis ad ostia Ponti,
Desidia tardos et longo frigore pingues.
Destinat hoc monstrum cymbae linique magister
Pontifici summo. Quis enim proponere talem
Aut emere auderet, quum plena et litora multo
Delatore forent? Dispersi protinus algae
Inquisitores agerent cum remige nudo,
Non dubitaturi fugitivum dicere piscem
Depastumque diu vivaria Caesaris; inde
Elapsum veterem ad dominum debere reverti.
Si quid Palfurio, si credimus Armillato,
Quidquid conspicuum pulcrumque est aequore toto,
Res fisci est, ubicunque natat. Donabitur ergo,

Torpentis Ponti. Torpentis gelu, ait Rupertius; quod sane consentaneum foret, nisi glacies Maeotica eodem tempore solibus rumpi diceretur. Qui enim fieri potest, ut Pontus Euxinus, quum Palus Maeotis verno calore liquescit, gelu etiamtum constringatur? Hinc veri similius mihi videtur, poëtam hac voce priscae Ponti feritati inhospitali (Plin. H. N. VI, 1) alludere, et locorum istorum epitheton parem in modum ab accolarum ingeniis arcessere, quo Sat. 8, 183 (192) Gabios simplices appellavit. Cfr. Avien. Descr. Orbis 249. 250.

45—55. *Pontifici.* Pontificatum Maximum imperatores ab Augusto usque ad Gratianum sibi vindicabant soli. Coenae pontificales per luxuriam notae. Hor. Od. II, 14, 28. *Proponere* venalem. *Forent*, essent. *Algae inquisitores*, delatores, ipsam quoque algam explorantes. *Remige*, piscatore. *Depastum vivaria*, ut Virg. Georg. III, 458:

— artus depascitur arida febris.

De vivariis v. ad Sat. 8, 298 (308). *Palfurio*, *Armillato*. Palfurius Sura, consularis viri filius, a Vespasiano motus senatu, transiit ad Stoicam sectam, in qua cum praevaleret et eloquentia et artis poëticae gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit. Quo interfecto, senatu accusante, damnatus est; cum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi: Armillatus, Demosthenes et Latinus. Palfurius et Armillatus h. l. ut novi juris repertores inducuntur.

Ne pereat. Jam letifero cedente pruinis
Autumno, jam quartanam sperantibus aegris,
Stridebat deformis hiems, praedamque recentem
Servabat: tamen hic properat, velut urgeat Auster.
Utque lacus suberant, ubi, quanquam diruta, servat
Ignem Trojanum et Vestam colit Alba minorem,
Obstitit intranti miratrix turba parumper.
Ut cessit, facili patuerunt cardine valvae;
Exclusi spectant admissa obsonia Patres.
Itur ad Atriden. Tum Picens, accipe, dixit,
Privatis majora focis; genialis agatur

56—64. *Letifero Autumno*, tempore illo, quo
— pueris omnis pater et matercula pallet —
Hor. Ep. I, 7, 7.

Pruinis, hiemi. *Quartanam sperantibus aegris*, iis, qui aegrotabant, sperantibus, febrem, qua antea quotidiana laborabant, in febrem quartanam abituram, atque ita subinde remissuram. *Praedam*, piscem, *recentem servabat*, a morte et putredine defendebat. *Auster*, cujus flatibus omnis caro facillime putrescit. *Utque lacus suberant*, ubi piscator eum in locum venerat, quo ad villam Domitiani Albanam itur, cui lacus est subjectus; est enim pluralis pro singulari, ut Hor. Od. IV, 1, 19. *Quanquam diruta Alba.* In Albae excidio Liv. I, 29 templis Deum temperatum esse, Strabo unum Vestae templum superfuisse refert; Symmachus autem Ep. IX, 120. 121 Vestam sua quoque aetate ibi cultam fuisse tradit. *Minorem*, quod majus Romae ejusdem Deae templum. *Facili cardine.* Piscis facile admittitur ad principem alioquin suspiciosum. Plinius de Trajano Paneg. 82: Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus otium, Bajanique torporem et silentium — ferre, non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret. *Exclusi patres.* Domitianus, qui secessu Albano delectabatur, senatum eo saepius vocabat, quod Tac. Agr. 45 demonstrat. Igitur senatores alia de caussa arcessiti tum aderant. Sed id ipsum, propter quod vocati erant, procrastinatur; senatus, dum intro fertur piscis, exspectare in limine cogitur.

65—75. *Privatis majora focis;* nemo privatorum dignus est, qui piscem tam ingentem sibi apponendum sumat. *Genialis*,

Iste dies; propera stomachum laxare saginis,
Et tua servatum consume in secula rhombum.
Ipse capi voluit. Quid apertius? Et tamen illi
Surgebant cristae. Nihil est, quod credere de se
Non possit, quum laudatur dis aequa potestas.
Sed deerat pisci patinae mensura. Vocantur
Ergo in consilium proceres, quos oderat ille;
In quorum facie miserae magnaeque sedebat

---

laetus, festus. *Laxare*, aperire, ut Virg. Georg. II, 330. *Saginis*, casu tertio, vocabulum proprie de altilium cura usitatum. Sed hominem agrestem et piscatorem loqui scias. *Tua servatum in saecula.* Longa annorum serie opus fuit, ut rhombus in tantam magnitudinem excresceret, tuaque mensa dignus fieret. *Ipse capi voluit.* Haec piscatoris extrema sunt verba. Quanquam importunus alioquin ut rusticus tamen pestem illi aetati communem prae se fert: adulari a dominis impotentibus infimi quoque generis homines docentur. *Quid apertius?* Haec et quae sequuntur, poëtae verba sunt. *Apertius* per simplicem ironiam dictum. *Et tamen illi surgebant cristae.* Rhombus pinnas a dorso exstantes, quae antea fuerant complicatae, tum maxime erigit, tanquam irascens captivitati suae. *Nihil*, quamvis absurdum adeo, ut adulator irridere potius, quam mirari videatur. *Dis aequa*, ἰσόθεος. *Potestas*, imperator. Domitianus se dominum deumque adpellari voluit. Si quis igitur ea ementitur, quae divinitatem illam probent, ut bestias ab imperatore comedi volentes, non dubitat cavillanti fidem habere. Ceterum Plinius quoque Paneg. 6 scribit: Principem, quem aequata diis immortalibus potestas deceret. *Patinae mensura*, patina satis ampla, quae piscem integrum capere posset. *Proceres*, non omnes senatores, sed qui erant praecipui in eo ordine. *Magnae pallor amicitiae.* Nihil horribilius erat illis, quam se amicos Caesaris dici, cujus saevitia nullis magis erat metuenda, quam quibus tum maxime utebatur familiariter. Cfr. Suet. Dom. 10. 11. Plinius Paneg. 48 de Domitiano: Obversabantur foribus horror et minae et par metus admissis et exclusis. Ib. 85: In principum domo nomen tantum amicitiae, inane scilicet irrisumque, manebat. Nam quae poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii servi videbantur?

Pallor amicitiae. Primus, clamante Liburno,
Currite, jam sedit! rapta properabat abolla
Pegasus, attonitae positus modo villicus Urbi.
Anne aliud tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum sanctissimus omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. Venit et Crispi jucunda senectus,
Cujus erant mores, qualis facundia, mite
Ingenium. Maria ac terras populosque regenti
Quis comes utilior, si clade et peste sub illa
Saevitiam damnare et honestum afferre liceret

75—81. *Liburno*, servo admissionis, qui stabat in limine inter conclave imperatoris et eum locum, quo senatores illum opperiebantur. *Rapta abolla*. Abolla pro toga; non enim credibile, senatorum quemquam in principis consilium vocatum Graeco amictu venturum fuisse. Sed Pegasus insignis erat inter jurisconsultos ejus temporis, qui plerique Stoicorum disciplinam sequebantur. Hinc ejus toga vocatur abolla. Eam audita Liburni voce raptim componit. *Modo*, non multo ante. *Villicus*, ut Sat. 3, 186 (195). *Anne aliud tunc praefecti?* Servi erant servis impositi. *Quorum* praefectorum ille Pegasus *optimus* etc. Nisi subsequeretur *quanquam temporibus diris*, Juvenalis erat scripturus: quanquam optimus atque interpres l. sanctissimus. Duo sunt, propter quae mirum debet videri, quod Pegasus omnia *inermi justitia*, seu ea justitia, quae scelera non audet coërcere, tractanda putaverit, primum, quod ipse juris consultus erat probitate insignis, deinde, quod tempora erant tam dira, scelerum plurimae facies, quae largam judici (nam praefectura Urbis jurisdictionem habebat) materiam praeberent.

81—93. *Crispi jucunda senectus*, ut Tac. Ann. IV, 17: Aequari adolescentes senectae suae, sibi seni. — C. Vibius Crispus, vir consularis, Vespasiani amicus, tum octogenarius. *Facundia*. Quinctil. X, 1, 119: Vibius Crispus, compositus et jucundus et delectationi natus, privatis tamen caussis quam publicis melior. *Clade et peste*. Locrenses apud Livium XXIX, 17 de Pleminio legato: Pestis et bellua immanis, quales fretum quondam, quo ab Sicilia dividimur, ad perniciem navigan-

Consilium? Sed quid violentius aure tyranni,
Cum quo de pluviis aut aestibus aut nimboso
Vere locuturi fatum pendebat amici?
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem, nec civis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, et vitam impendere vero.
Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia, his armis illa quoque tutus in aula.
Proximus ejusdem properabat Acilius aevi
Cum juvene, indigno, quem mors tam saeva maneret
Et Domini gladiis tam festinata; sed olim
Prodigio par est cum nobilitate senectus:
Unde fit, ut malim fraterculus esse Gigantis.
Profuit ergo nihil misero, quod cominus ursos
Figebat Numidas, Albana nudus arena
Venator. Quis enim jam non intelligat artes

---

tium circumsedisse fabulae ferunt. *Violentius*, irritabilius, iracundius. *De pluviis etc.* De rebus inanibus, offensionis expertibus. *Fatum pendebat*, suspensum erat; incertum erat, an id ipsum homini futurum esset exitio. *Nec civis erat*, nihil e republica ei supererat. Plinius quoque Paneg. 24: Regimur quidem a te, et *subjecti* tibi, sed quemadmodum legibus, sumus. *Vitam impendere vero*, vitae jacturam facere veri dicendi caussa. *Tutus*. Cfr. Tac. Agr. 42 fin.

94—103. *Cum juvene* filio, M. Acilio Glabrione, qui a. U. 844 cum Trajano consul fuerat. *Mors tam saeva* a. U. 848. Domitianus eum in villam Albanam arcessitum, quum Juvenalia olim a Nerone instituta celebraret, cum leone magno depugnare coëgit, deinde, quum Glabrio praeter opinionem belluam confecisset, eundem ob id ipsum interfecit. *Olim*, jam pridem. *Fraterculus gigantis*, homo pusillus et obscurus, indidem natus, unde gigantes, γηγενεῖς, provenerunt, terrae filius, ut Pers. Sat. 6, 59. *Venator*, quod illae hominum armatorum cum feris dimicationes dicebantur venationes, ut Suet. Claud. 21. *Quis enim* sq. Quod supra e Dione C. allatum est de Acilio Glabrione, cum his non omnino congruit, quanquam non ita discrepat, ut

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexae jactaret basia redae.

---

ciunt, eam horum verborum interpretationem, quam infert Heinrichius, tuetur: eum, qui olim in ponte aliquo stipem rogaverit, ex inopi potentem, dirà principibus ministeria praestitisse. Imo non est dubium, quin aliquis eorum scriptorum, qui Catullum, et cum detestatione omnes, nominant, obscura ejus initia et subitam felicitatem, si objici ea potuissent, notaturus fuisset. Nec sane Juvenalem, si hoc ipsum, quod vult Heinrichius, indicare voluisset, istis verbis usurum fuisse crediderim. Si enim ex infimae sortis homine ad potentiam evectus Catullus inter instrumenta saevitiae principalis conspicitur, voce *satelles* id parum luculenter demonstratur, quod inter mendicum et satellitem non tantum interest, quantum inter mendicum et amicum principis potentem: non sane nimio fortunae favore a mendicitate ad satellitium adscenditur. Nero, si Dioni p. 988 credimus, quum noctu itinera urbis foeda lascivia pererrabat, ἐκώμαζε — παίων, τιτρώσκων, φονεύων. Qui posteaquam a Julio Montano, dum hunc in modum grassatur, prope ad necem caesus erat, postea, ut apud Suetonium Ner. 26 legimus, nunquam illud horae sine tribunis publico sese commisit, qui procul et occulte subsequebantur. Tacitus quoque Ann. XIII, 26 Neronem a Montano perterritum milites sibi et gladiatores circumdedisse refert, qui — — — arma inferrent. Postremo si Tac. Ann. XIII, 47 comparamus, quaeque ibi de ponte Milvio et juvenili licentia Neronis aliorumque memorantur, plurimum inde lucis nostro loco affundi videtur: Catullus fuit ex illis Neronis satellitibus, vel tribunis, vel militibus, per quos vulnera obviis inferebantur et alia nefanda patrabantur, eoque dignus fuit, qui *dirus* adpellaretur. *A ponte* autem, quod commeans in pontem Milvium Nero eo comite utebatur. *Dignus* etc. Ne hoc quidem de priori Catulli mendicitate dictum puto, sed de impudentia hominis atque oris habitu. Cui interpretationi non obstat illud, quod *mendicaret* potius dictum est, quam mendicet. Nam consecutio temporum quae dicitur imperfectum poni jubebat. *Aricinos axes* v. App. K. Idem, quod de Rubrio dictum fuit v. 106, de Catullo alium in modum poëta infert: non minus est impudens, quam qui circa Ariciam viatores mendicando fatigant: quorum importunitatem illa aetate non minorem fuisse putaverim, quam eorum, qui hodie per Italiam itinera obsident. Nec est superbiae affinis haec Catulli impudentia, ut forsan

Nemo magis rhombum stupuit; nam plurima dixit
In laevam conversus; at illi dextra jacebat
Bellua. Sic pugnas Cilicis laudabat et ictus
Et pegma et pueros inde ad velaria raptos.
Non cedit Vejento, sed ut fanaticus, oestro
Percussus, Bellona, tuo divinat et, ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno

Rubrii, sed abjecta et putida, ut credas hominis mendici sordes videre, foetorem olfacere. *Blandaque jactaret basia*, e longinquo redam basia jactando, manum ori admovendo salutaret, sperans scilicet, qui veherentur ea reda, stipem daturos esse. *Devexae*, inclinatae in descensu. Hic quoque versus illud tantum ostendit, Catullum ore suo turpissimum erga principem obsequium prodidisse.

119—122. *In laevam conversus*, quod rhombum in sinistra parte positum esse putabat, eumque se videre simulabat. *Cilicis* gladiatoris *pugnas laudabat*, laudare solebat, et alia, quae nemo nisi oculorum sensu percipere poterat. *Pegma*. Pegmata, πήγματα (πήγνυμι) antiqui appellarunt machinas quasdam e ligno, quarum usus erat in theatris aut arenis. Erat pegma grandis quaedam et ingeniosa contabulatio, quae sponte et occulte statim cresceret, statim subsideret. *Pueros raptos*, qui Suet. Calig. 26 gladiatores pegmares appellantur. Rapti sunt seu ex inopinato sublati per idem pegma, cui insistebant; *ad velaria*. Super theatri et amphitheatri eas partes, in quibus spectatores sedebant, vela funibus ducta pendebant, ut solis ardores prohiberentur. *Rapti ad velaria* sunt igitur confestim sublati per illud machinamentum ad magnam altitudinem. Quo magis ingenia hominum contrahebantur ac decrescebant, eo celerius illa invaluit cupiditas, quam Horatius Ep. II, 1, 185 sq. ridet. v. App. U.

123—129. *Fanaticus*, ἔνθεος. *Oestro*, furore sacro. *Bellona*. Ejus Deae sacerdotes statis temporibus, praesertim IX Cal. Apr., qui dicebatur dies sanguinis, sacra faciebant, oestroque perciti, quem ab ipsa Dea sibi immitti credebant, cultris humeros et brachia sua secabant, proprio cruore se aliosque aspergentes: quo tempore futura etiam vaticinabantur. *De temone Britanno*. Tac. Agr. 12: Quaedam nationes et curru

Excidet Arviragus; peregrina est bellua; cernis
Erectas in terga sudes? Hoc defuit unum
Fabricio, patriam ut rhombi memoraret et annos.
Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testa alta paretur,
Quae tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinae subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate! sed ex hoc
Tempore jam, Caesar, figuli tua castra sequantur.
Vicit digna viro sententia; noverat ille
Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Jam medias, aliamque famem, quum pulmo Falerno
Arderet. Nulli major fuit usus edendi

---

praeliantur; honestior auriga. *Arviragus*, Britannorum regulus aliquis, Romanorum in Britanniam imperio infestus, quem ejus aetatis rerum scriptores non memorant. *Sudes.* Rhomborum sunt pinnae dorsuales, quales aliorum piscium; sed hic pinnas gerit tam validas et horrentes, ut sudes potius quam pinnae debeant vocari; idque ipsum argumento est, hunc piscem laeti ominis caussa ad Caesarem deferendi ex ultimo mari in Hadriam venisse. Non opus est adulatori ratione sufficiente, quam logici dicunt.

130—135. *Quidnam igitur censes? conciditur?* Caesar inquit, sententiam rogans. *Testa*, patina. *Muro*, margine. *Colligat*, ambiat, includat. *Debetur*, opus est. *Prometheus*. Lucian. Prom. 2: *Οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς χυτρέας καὶ ἰχνοποιοὺς καὶ πάντας, ὅσοι πηλουργοί, Προμηθέας ἀπεκάλουν*. *Argillam atque rotam* sq. Rotam figuli, ut Hor. A. P. 22. Instrumenta figlina senatores jubet Montanus confestim adferre, et quasi tunc demum reminiscens, id non esse muneris senatorii, figulos ministeriis aulicis, quotiescunque imperator iter facturus esset, addendos esse censet.

136—144. *Noctes Neronis jam medias*, quae agere et quae concupiscere solitus fuerit Nero, quum ad medias jam noctes usque potasset. *Aliam famem*, famem seu cupidinem rerum aliarum, non epularum, nec vini, sed stupri. *Usus edendi*, sol-

Tempestate mea. Circeis nata forent, an
Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo
Ostrea, callebat primo deprendere morsu,
Et semel aspecti litus dicebat echini.
Surgitur, et misso proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos et festinare coactos,
Tanquam de Cattis aliquid torvisque Sicambris
Dicturus, tanquam diversis partibus orbis
Anxia praecipiti venisset epistola pinna.
Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora saevitiae, claras quibus abstulit Urbi
Illustresque animas impune et vindice nullo!
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Coeperat: hoc nocuit Lamiarum caede madenti.

---

lertia gulae. *Rutupiae*, oppidum Cantiorum in Britannia cum portu. *Fundo*, littore.

144—154. *Tanquam de Cattis* etc. Plin. Paneg. 54: Nihil ante tam vulgare, tam parvum in senatu agebatur, ut non laudibus principum immorarentur, quibuscunque censendi necessitas accidisset. De ampliando numero gladiatorum aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur, et quasi prolatis imperii finibus nunc ingentes arcus, excessurosque templorum fastigium titulos, nunc menses etiam nomini Caesarum dicabamus. *Diversis*, longe remotis. *Praecipiti pinna.* Qui res laetas et bene gestas erant nunciaturi, non solum cum tabellis laureatis, sed etiam summis hastis praefixa lauro vestitis veniebant. E contrario qui res turbidas et improsperas, aut novos motus in provinciis excitatos aut bellum nunciabant, rei tristis indicium pinnis in summo hastarum lancearumque fixis praeferebant — unde et ipsi tabellarii *πτεροφόροι* dicebantur. Plutarchus de funestis nuntiis, quos Otho invalescente Vitellio accipit, c. 4 hoc scribit: *καὶ πτεροφόροι συνεχῶς συνεφοίτων, ἀεί τι προσχωρεῖν ἐκείνῳ φράζοντες.* *Illustres animas.* Tac. Agr. 3 et 45. *Cerdonibus*, hominibus infimis ac sordidis. *Lamiae*, plebeja nobilitas, sed antiquissima. Hor. Od. III, 17.

Satira V.

Si te propositi nondum pudet, atque eadem est mens,
Ut bona summa putes aliena vivere quadra;
Si potes illa pati, quae nec Sarmentus iniquas
Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset:
Quamvis jurato metuam tibi credere testi.
Ventre nihil novi frugalius. Hoc tamen ipsum
Defecisse puta, quod inani sufficit alvo:
Nulla crepido vacat? nusquam pons et tegetis pars
Dimidia brevior? tantine injuria coenae?
Tam jejuna fames? cum possis honestius illic

Satira V.

1—11. *Propositi*, vitae hunc in modum institutae. *Bona summa*, finem bonorum. V. App. J. *Quadra*, proprie placentae frustum aequaliter divisae apud Martialem, qui XII, 82 hac voce etiam de casei parte utitur. *Sarmentus*, non idem, quem Hor. Sat. I, 5, 52 scurram (Maecenatis) vocat, sed scurra Octaviani Augusti. Scurrae, *γελωτοποιοί*, qui risus movendi caussa conviviis adhibebantur, atque ob id ipsum multa indigna cogebantur pati. Hor. Ep. I, 18, 2 scurrantem pro adulante ponit. *Iniquas mensas*, propter contumelias in scurram a Caesare et convivis super coenam illatas. *Galba*, scurra nobilis sub Tiberio. *Ventre*, fame, quae opponitur gulae. Quae natura desiderat, facile ab omnibus parantur; contra insatiabile est fastidium. *Inani alvo*, ventri esurienti. *Crepido*, gradus saxeus. Petron. Sat. 9: vidi Gitona in crepidine semitae stantem. *Vacat* ad mendicandum. *Tegetes* juncis contextae. Describitur hominis mendici suppellex: hanc certe tegetem, qualem sibi substernunt mendici, potes comparare. *Tantine* est *injuria coenae?* coena contumeliis in te admissis plena. *Jejuna fames*. Ovidius quoque Metam. VIII, 792 famem jejunam dixit. Fames jejuna seu esuriens est ejus generis, quod grammatici

Et tremere et sordes farris mordere canini.
Primo fige loco, quod tu, discumbere jussus,
Mercedem solidam veterum capis officiorum.
Fructus amicitiae magnae cibus: imputat hunc rex,
Et, quamvis rarum, tamen imputat. Ergo duos post
Si libuit menses neglectum adhibere clientem,
Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Una simus, ait. Votorum summa! quid ultra

κατ' ἰδιοπάθειαν vocant. *Quum possis honestius*, quae codicum est scriptura, eo ferri nequit, quod syllaba posterior verbi *possis* corripi non debet. Heinrichius duce Heineckio loci corruptelam ita sanat, ut simplici vocum trajectione *pŏssīs cŭm hŏnēstĭŭs* legendum esse censeat, exemplis additis, unde appareat, elisionem ab aliis quoque interdum negligi. Ita Lucretius VI, 272 sq.:

— — ubi ventus — expressit multa vaporis
Semina, seque simŭl cŭm ĕo commiscuit igni —

Et Horatius Sat. II, 2, 27 sq.:

— — num vesceris ista
Quam laudas pluma? coctō nŭm ădest honor idem?

Illic, in crepidine, vel in ponte. *Tremere*, frigora tolerare. *Farris*, panis, *canini*. Phaedr. IV, 17:

Canes legatos olim misere ad Jovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Ut sese abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum panem quod darent.

12—23. *Primo fige*, pone, *loco* ex iis, quae te debent impellere, ut illud jugum excutias. *Discumbere jussus* a patrono, ejusque ad mensam. *Solidam*, totam. *Amicitiae magnae*, ut Sat. 4, 74. *Cibus*, res exigua, laboriosis officiis istis indigna. *Rex*, dominus, amicus potens ac dives. *Adhibere* coenae. *Tertia culcita*, locus infimus tori, in quo accumbitur. Lucian. Somn. 9: Ὁ δὲ Εὐκράτης, Μίκυλλε, φησὶ, θυγατρὸς τήμερον ἑστιῶ γενέθλια, καὶ παρεκάλεσα τῶν φίλων μάλα πολλούς· ἐπεὶ δέ τινά φασιν αὐτῶν μαλακῶς ἔχοντα οὐχ οἷόν τε εἶναι ξυνδειπνεῖν μεθ' ἡμῶν, σὺ ἀντ' ἐκείνου ἧκε λουσάμενος, ἢν μὴ ὅ γε κληθεὶς αὖθις εἴπῃ ἀφίξεσθαι, ὡς νῦν γε ἀμφίβολός ἐστι. *Votorum summa*; hoc cliens invitanti patrono re-

Quaeris? Habet Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat et ligulas dimittere, sollicitus, ne
Tota salutatrix jam turba peregerit orbem
Sideribus dubiis, aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae.
Qualis coena tamen? Vinum, quod sucida nolit
Lana pati; de conviva Corybanta videbis.
Jurgia proludunt; sed mox et pocula torques
Saucius, et rubra deterges vulnera mappa,
Inter vos quoties libertorumque cohortem
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.

---

spondet; quae statim sequuntur, poëta loquitur. Quum cliens semel post duos menses ad coenam vocatus est, *habet*, mercedem integram recepit. *Trebius*, nomen fictum clientis. Poterat poëta omisso nomine dicere: habes, ut v. 25: torques. Sed ad variandam orationem nomen Trebii inducitur, poëta quasi aperiente, quae inflatus superbia patronus, dum clientem invitat, secum animo volvit. *Rumpere somnum*; Lucian. de merc. cond. 10: *Πολλῆς μὲν δεῖ τῆς διαδρομῆς, συνεχοῦς δὲ τῆς θυραυλίας, ἕωθέν τε ἐξανιστάμενον περιμένειν ὠθούμενον καὶ ἀποκλειόμενον καὶ ἀναίσχυντον* etc. *Ligulas dimittere*, calceamentis non ligatis festinare. *Peregerit orbem*. Lucian. Nigrin. 22: *Νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν* etc. *Dubiis*, jamjam hebescentibus. *Aut illo tempore*, multo ante diluculum. *Se circumagunt*, inclinari coeperunt.

24—29. De his, quae sequuntur, cfr. App. H. *Sucida*, recens tonsa. Varro de R. R. II, 11, 7: Tonsas recentes eodem die perungunt vino et oleo. — Ergo *vinum* acidum adeo, ut lana corrumpatur, quam illa perunxeris. *De conviva* fieri *Corybanta* eodem illo aceto videbis; miseris convivis furorem ille acor injiciet. *Jurgia*, altercationes, verborum contumeliae. *Vos*, clientes. *Libertorum cohortem*, qui et ipsi coenae adhibebantur, et quasi propiores domino ultra clientes sese efferebant. (V. App. H.) *Pugna fervet*. Hor. Od. I, 17:

Natis in usum laetitiae scyphis

Ipse capillato diffusum Consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum missurus amico.
Cras bibet Albanis aliquid de montibus aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testae;
Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassî natalibus. Ipse capaces

Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem!

Saguntina lagena, vasis fictilibus.

30—37. *Ipse* patronus, qui te invitavit. *Capillato consule* sq. *Diffundere* est in vasa defundendo distribuere. Amphoris et cadis, in quos vinum diffundebatur, consulum ejus anni nomina et reliqua, quibus internosceretur vinum, inscribere solebant. Cfr. Hor. Od. III, 14. 21. *Capillato*, intonso. Varro R. R. II, 11, 10: Omnino tonsores in Italiam primum venisse ex Sicilia dicuntur post a. a. U. c. 454. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuae, quod pleraeque habent capillum et barbam magnam. Luc. de merc. cond. 26: *Τῶν ἄλλων ἥδιστόν τε καὶ παλαιότατον οἶνον πινόντων μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, θεραπεύων ἀεὶ ἐν ἀργύρῳ ἢ χρυσῷ πίνειν, ὡς μὴ ἐλεγχθείης ἀπὸ τοῦ χρώματος οὕτως ἄτιμος ὢν συμπότης· καὶ εἴθε γε κἂν ἐκείνου ἐς κόρον ἦν πιεῖν, νῦν δὲ πολλάκις αἰτήσαντος, ὁ παῖς οὐδ' ἀΐοντι ἔοικεν.* *Socialibus*, a. U. 660—662. *Cardiaco;* stomachum seu os ventriculi veteres Graeci *καρδίαν* dixere: cardiaci ergo sunt, qui stomachi dolore laborant. Plin. H. N. XXIII, 25: Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse certum est. *Albanis.* Vino Albano solum Falernum praeferendum esse Dionysius Halic. judicat. Martialis *Setinum* multis locis laudat. Plin. H. N. XIV, 8: Divus Augustus Setinum praetulit cunctis, et fere secuti principes. *Fuligine*, quae ex fumo in amphora haesit. Amphorae vino repletae in superiore aedium parte condebantur, quae fumo erat pervia. Hor. Od. III, 8, 11. *Thrasea Helvidiusque*, Tac. Ann. XIII, 49; XIV, 48; XVI, 21—28. 35. Hist. II, 91. Thraseam Nero, Helvidium, Thraseae generum, Vespasianus occidit. Uterque desiderium libertatis olim amissae prae

Heliadum crustas et inaequales beryllo
Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum;
Vel, siquando datur, custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungues observet acutos.
Da veniam; praeclara illic laudatur iaspis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginae fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis praelatus Jarbae.
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor ac jam
Quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.
Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
Frigidior Geticis petitur decocta pruinis.

---

se ferebat, Thrasea cum moderatione sapienti, Helvidius non sine offensae cupiditate. *Brutorum*, Decii et Marci.

37—50. *Heliadum crustas*, pocula ex electro. *Inaequales beryllo phialas*, aureas phialas, quibus berylli sunt inserti. *Inaequales* ut Virg. Aen. V, 267: Cymbia — aspera signis. *Virro*, nomen patroni. *Ungues* tuos. Martialis VIII, 59 de homine lusco, qui in conviviis furabatur:

Hunc tu convivam cautus servare memento:
Tunc furit atque oculo luscus utroque videt.
Pocula solliciti perdunt ligulasque ministri.

Illic, in poculo, quod manu tenes. Adde Virg. Aen. IV, 261:

— — illi stellatus iaspide fulva Ensis erat.

Fronte, parte exteriore. *Juvenis*, Aeneas. Virg. Aen. IV, 36. 196 sq. *Beneventani sutoris*, Vatinii, de quo Tac. Ann. XV, 34. Calices quosdam vitreos fuisse, quibus ea aetate a Vatinio nomen inditum fuerit, ex hoc nostro loco et alio apud Martialem intelligitur. *Siccabis*, ebibes. *Nasorum*, rostrorum. *Poscentem sulphura*, ad rimas conglutinandas. Plin. H. N. XXXVI, 67: Vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem. *Decocta* aqua. Plin. H. N. XXXI, 23: Neronis principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis nivis. Suetonius de Nerone fugitivo et latebras quaerente, quum exitium ei instaret,

Non eadem vobis poni modo vina querebar;
Vos aliam potatis aquam. Tibi pocula cursor
Gaetulus dabit aut nigri manus ossea Mauri,
Et cui per mediam nolis occurrere noctem,
Clivosae veheris dum per monumenta Latinae.
Flos Asiae ante ipsum, pretio majore paratus,
Quam fuit et Tulli census pugnacis et Anci,
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola. Quod quum ita sit, tu Gaetulum Ganymedem
Respice, quum sities. Nescit tot millibus emtus
Pauperibus miscere puer; sed forma, sed aetas
Digna supercilio. Quando ad te pervenit ille?
Quando vocatus adest calidae gelidaeque minister?
Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, et quod se stante recumbas.
Maxima quaeque domus servis est plena superbis.

---

c. 48: Aquam ex subjecta lacuna poturus manu hausit, et, haec est, inquit, Neronis decocta. V. App. C.

51—60. *Cursor Gaetulus*. Cursores redas vel lecticas divitum solebant praecedere, plerumque Afri, pernicitate insignes. Sed servorum quoque ordines erant vel superiores vel inferiores, et sua singulis classibus munia. Alii vestis, alii triclinii, alii coquendi, alii aliarum rerum multarum curam gerebant; cursores autem infimi ordinis fuisse credibile est, atque ob id ipsum tali in coena (v. 157) jussos a domino minoribus convivis cibos potumque ministrasse. V. App. E. *Monimenta*, sepulcra, *Latinae* viae. Nocte media si quis servum ejus generis ibi obvium habuisset, spectrum videre sibi visus esset. *Flos*, servi maxime decori et formosi. *Ne te teneam*, ne sim longior. *Frivola*, bona, quae si nostrorum civium opibus comparaveris, exilia sunt.

60—66. *Miscere* aquam et vinum. *Digna supercilio*. Est ejusmodi, ut servo fas sit, insolenter agere. Plin. H. N. XI, 51: In superciliis pars animi est. Haec maxime indicant fastum. Superbia in corde nascitur; huc subit, hic pendet. *Calidae* sq. ad aquam vel calidam (Tac. Ann. XIII, 16) vel frigidam tibi ministrandam. *Maxima* sq. Sen. de const. 11 de servis: Quo-

Ponitur exigua feralis coena patella.
Ipse Venafrano piscem perfundit; at hic, qui
Pallidus affertur misero tibi caulis, olebit
Laternam; illud enim vestris datur alveolis, quod
Canna Micipsarum prora subvexit acuta;

---

pensa factas invitans cybium promittit divisis ovis latens. Cybium autem vocari concisam pelamidem Plin. H. N. XXXII, 53 docet. Pelamis e scombris est, eademque thynnus vagans adpellatur. Ut igitur Martialis piscis illius frusta minutatim consecta ovisque dimidiatis contecta sibi curat apponi, ita clienti nostro isicium de cammaris factum ovisque dimidiis stratum fuisse oblatum facile crederem, nisi *constrictum* ovo cammarum poëta dixisset. Quidquid vero est, majores amici et convivae a minoribus ita secernuntur, ut illato novo ferculo, quod canceris marinis constat, nobilius cancrorum genus illis et integri cancri multique dentur comedendi, hi contra ne cammaros quidem integros, quanquam squillis per se inferiores, sed insicia de cammaris facta accipiant. *Feralis coena.* Non dici propter ova coenam *feralem*, nemo est qui non intelligat; nam plurimus est in culina Romana ovorum usus. Cfr. Hor. Sat. II, 4, 12. In silicerniis quaedam edulia solebant apponi, quasi suprema illa, quibus mortui vescerentur. Appulejus Florid. 19 de homine mortuo narrat, quem jam ore unguine odoro delibuto, jam pollinctum, jam coenae paratum Asclepiades medicus insignis vitae reddiderit, coenamque feralem a tumulo ad mensam referri jusserit. Haec autem ipsa, quae mortuis offerebantur, minuta fuisse quis dubitet? Eique rei argumentum ministrat Arnobius, qui Adv. Gent. VII, p. 229 farciminis genus quoddam *silicernium* vocatum fuisse ostendit. Hinc v. 85 hoc solum puto dictum: insicium de cammaris factum vobis ponitur exigua patella tam parvum, quam illud, quod mortuis solet offerri. *Venafrano* oleo, quod erat optimum. Varro de R. R. I, 2, 6: Quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? Adde Hor. Sat. II, 8, 45. *Pallidus caulis*, brassica flaccescens et marcida, quae ipso aspectu et colore fastidium movet. *Olebit laternam*, olebit ut illud oleum, quod laternas alit. Hor. Sat. I, 6, 124

— — — ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

Propter quod Romae cum Bocchare nemo lavatur,
Quod tutos etiam facit a serpentibus Afros.
Mullus erit domino, quem misit Corsica, vel quem
Tauromenitanae rupes, quando omne peractum est
Et jam defecit nostrum mare, dum gula saevit,
Retibus assiduis penitus scrutante macello
Proxima, nec patitur Tyrrhenum crescere piscem.
Instruit ergo focum provincia; sumitur illinc,
Quod captator emat Laenas, Aurelia vendat.
Virroni muraena datur, quae maxima venit
Gurgite de Siculo; nam, dum se continet Auster,
Dum sedet et siccat madidas in carcere pennas,
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.
Vos anguilla manet longae cognata colubrae,

Alveolis, catinis. *Canna Micipsarum*, navigium Numidicum e regno Micipsae, qui notus ex Sall. 13. Jug. 5. *Propter quod* sq. Quia *Bocchar* in balneis illo ungitur. Nomen ipsum regis Mauretaniae Liv. XXIX, 30; h. l. autem Afri alicujus Romae versantis, Juvenali aequalis. *Quod tutos* sq. eodem foetore, propter quem omnes fugiunt Boccharem lavantem. Ejus generis oleum, nisi quod poëta per hyperbolen loquitur, in Aegypto fuisse expressum, cibis foedum, lucernis utile, Plinius H. N. XV, 7 docet.

92 — 98. *Mullus*, de quo Sat. 4, 15. *Rupes*. Plin. H. N. IX, 30 de mullis: Non est litoralibus gratia, i. e., qui in litore captantur, non optimi saporis putantur esse. Sen. N. Q. III, 18, 4: Audiebamus, nihil esse melius saxatili mullo. *Omne mare*. *Nostrum*, tam superius mare, quam inferius. *Macello*, ubi omnia cibaria veno erant proposita. Plaut. Aulul. II, 8, 3: Venio ad macellum, rogito pisces; indicant caros; agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam. *Instruit* piscibus. *Captator* hereditatum. Cfr. Hor. Ep. I, 1, 77 sq. *Aurelia* dives, orba, quae a captatoribus toties pisces pretiosos dono accipit, ut iis divenditis rem suam etiam tum augeat.

99 — 106. *Muraena* et *anguilla* ejusdem generis sunt; sed muraena in deliciis erat, anguilla contemnebatur. *In carcere* Aeolio. Virg. Aen. I, 52 sq. *Contemnunt* sq. Piscatores auda-

Aut glacie aspersus maculis Tiberinus, et ipse
Vernula riparum, pinguis torrente cloaca,
Et solitus mediae cryptam penetrare Suburae.
Ipsi pauca velim, facilem si praebeat aurem.
Nemo petit, modicis quae mittebantur amicis
A Seneca, quae Piso bonus, quae Cotta solebat
Largiri; namque et titulis et fascibus olim
Major habebatur donandi gloria; solum
Poscimus, ut coenes civiliter. Hoc face et esto,

---

ces in ipso vertice retia demittunt. *Cognata colubrae.* Ita sedidisse Romanos nomen ipsum piscis indicat. *Glacie,* quum hieme coenas apud Virronem; nam anguillae hieme in limo delitescunt. *Tiberinus* lupus. *Vernula riparum,* qui nostras ad ripas solet nasci et capi; qualem vero piscem Juvenalis hoc versu significet, haud satis liquet. *Torrente cloaca.* Fuisse cloacas Romae in ingentem altitudinem depressas, receptaculum omnium purgamentorum urbis, a Prisco Tarquinio primum, mox a Superbo, et demum interjecto tempore a M. Agrippa profusis sumtibus et magna mole constructas, auctores tradunt; per quas septem amnes quasi sub urbe pensili, solida structura raperent omnia et auferrent. *Cryptam,* cloacam.

107—113. *Ipsi* Virroni *pauca velim* dicere. Poëta in enumerandis contumeliis, quibus clientem patronus afficit, paullum consistit quasi taedio victus, nec sustinens ultra tacere. *Nemo* a te *petit* ea. *A Seneca.* Sen. de Benef. II, 1 sq. Optimum est, antecedere desiderium cujusque; proximum, sequi. Illud melius, occupare antequam rogemur — quoniam quidem, ut majoribus nostris visum est, nulla res carius constat, quam quae precibus emta est. Molestum verbum est, onerosum, et demisso vultu dicendum: rogo. Hujus facienda est gratia amico, et cuicunque, quem amicum sis promerendo facturus. Omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis cito facere. *Piso bonus.* Tac. Ann. XV, 48: exercebat largitionem adversus amicos —. Sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia. Martialis XII, 36 Pisones, Senecas, Memmios et Crispos ut antiquae libertatis praecipua exemplaria laudat. *Cottam* Tacitus Ann. XIII, 34 per luxum avitas opes dissipavisse narrat. *Titulis* ut Hor. Od. IV, 14. Sat. I, 6, 17. *Ut coenes*

Esto, ut nunc multi, dives tibi, pauper amicis.
Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par
Altilis et flavi dignus ferro Meleagri
Fumat aper; post hunc tradentur tubera, si ver
Tunc erit et facient optata tonitrua coenas
Majores. Tibi habe frumentum, Alledius inquit,
O Libye! disjunge boves, dum tubera mittas.

---

civiliter, ut eos, quos ultro ad coenam vocasti, quos mensa et loco (Plin. Ep. II, 6) tibi aequasti, non arroganter habeas, sed ut civis civibus utaris.

114 — 119. *Anseris jecur.* Athenaeus de his jecinoribus p. 384: *περισπούδαστα ταῦτα κατὰ τὴν Ῥώμην.* Martialis XIII, 58:

Adspice quam tumeat magno jecur ansere majus!
Miratus dices: hoc, rogo, crevit ubi?

Plin. H. N. X, 27: Fartilibus (anseribus) in magnam magnitudinem crescit (jecur); exemtum quoque lacte mulso augetur. Hor. Sat. II, 8, 88 docet fuisse, qui anseres, quo magis cresceret jecur, ficis pascerent. *Altilis* gallina. Mart. XIII, 62:

Pascitur et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris; ingeniosa gula est.

Dignus ferro Meleagri, tam ingens, quam ille, quem Meleager occidit. *Aprum* poëta noster Sat. I, 141 vocat animal propter convivia natum. Plin. H. N. VIII, 78: Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgavit. *Tradentur tubera* Virroni et majoribus amicis, non tibi. *Si ver tunc erit.* Plin. H. N. XIX, 13: De tuberibus haec traduntur peculiariter: cum fuerint imbres auctumnales ac tonitrua crebra, tunc nasci, et maxime e tonitribus; nec ultra annum durare; tenerrima autem verno esse. Mart. XIII, 42. 43 docet, Libycos tuberes fuisse praestantissimos. *Alledius;* eundem esse crediderim, qui Tac. Ann. I, 10 scriptura mendosa Tedius vocatur. *Disjunge boves*, arare desine; licet fame pereat civitas.

120 — 131. *Κατάκεισαι μάρτυς μόνον τῶν παραφερομένων*, ut est apud Lucianum de merc. cond. 26. Antea quidem, quum convivae nobiles lautioribus epulis vescerentur, tibi minora quaedam et viliora contigerant. Nunc istae lautitiae oculos adspectu,

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas et chironomunta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia. Nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores et quo gallina secetur.
Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foris, si quid tentaveris unquam
Hiscere, tanquam habeas tria nomina. Quando propinat
Virro tibi, sumitque tuis contacta labellis
Pocula? quis vestrum temerarius usque adeo, quis
Perditus, ut dicat regi, bibe? Plurima sunt, quae
Non audent homines pertusa dicere laena.

---

nares nidore suo proritant; tu avidus et inanis recumbis. *Structorem saltantem.* Structor proprie is est servus, qui coenam struit ac fercula docte componit; sed idem cibos carpit seu scindit, eoque carptor, carpus, scissor vocatur. *Saltare* dicitur structor, quia, dum munere suo fungitur, toto corpore et brachiis praesertim, in numerum quendam decore movetur. Petron. Satyr. 36: Processit statim scissor, et ad symphoniam gesticulatus laceravit obsonium. *Chironomunta*, χειρονομοῦντα, gesticulantem. V. Append. E. *Dictata magistri*, quaecunque ei de arte secandi et scindendi praecepta sunt. *Nec minimo* sq. Et refert sane ita, ut non minimum, ut magnum sit discrimen. *Duceris planta*, pedibus traheris. *Ponere foris*, triclinio ejicieris. *Hiscere*, labia diducere. Liv. VI, 16: Nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis aut ipsa plebs attollere oculos aut hiscere audebant. *Tanquam* pro infinitivo cum accusativo, ut apud Tacitum Ann. II, 84. III, 12. IV, 10. 13. 22. 31. 43. VI, 14. XI, 14. Hist. I, 8. Germ. 12. *Tria nomina*, quod signum est libertatis. Servus unum habet nomen. Igitur tria nomina habere indicat ejusdem juris esse, quo ceteri convivae. V. App. E. Itaque si cliens tria sua nomina memorasset, servum se esse, quicum dedeceret coenare dominum, negasset. *Quando propinat* sq. Juris aequabilitatem, quam tu somnias, ille tibi denegat. Qui civiliter coenabant, singulis convivis solebant propinare. Luc. somn. s. Gall. 12. *Sumtique* sq. Hoc quoque ejus temporis morum specimen. Sen. de Ben. II, 21: Ego ab eo

Quadringenta tibi si quis deus aut similis dis
Et melior fatis donaret homuncio: quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus!
Da Trebio! pone ad Trebium! Vis, frater ab ipsis
Ilibus? O nummi, vobis hunc praestat honorem,
Vos estis fratres! Dominus tamen et domini rex
Si vis tu fieri, nullus tibi parvulus aula

---

beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non sim? *Perditus*, tam perdita audacia. *Pertusa*, lacera.

132—140. *Quadringenta* sestertia, censum equestrem. *Melior fatis*, benignior, quam fatum illud, quod pauperem te vult esse. *Da Trebio* sq. Hunc in modum patronus servos juberet, lautitias coenae tibi primo ministrare. *Frater ab ipsis ilibus*, idem quod frater uterine, frater gemelle (Hor. Ep. I, 10, 3). *Ab ilibus* (Plin. H. N. XI, 83. 84) vim vocis *frater* intendit, et *ipsis* vim vocum *ab ilibus* adauget. Alii *ab ipsis ilibus* ad aprum referunt, ut Virro inducatur Trebium rogans, velitne ilium apri partem sibi dari, quod eae tum deliciae epulantium fuerint. At praeterquam quod parum Latine dici, *vis ab ilibus*, H. Valesius recte vidit, duo loci isti, quibus aprorum ilia in deliciis fuisse probatum volunt, Plin. H. N. VIII, 78, et Mart. X, 45, 4, id nullo modo demonstrant. Plinius *lumbum aprugnum* ut partem praecipuam positam fuisse olim, non hoc tempore, refert. Lumbus autem, id quod vel Hor. Sat. I, 5, 22 manifeste docet, non intestina indicat; eoque Romanis easdem partes suum, quae et nobis et epulantibus Alcinoi convivis, optimi succi visa fuisse adparet. Martialis autem, qui *ilia* diserte nominat, non optimam, sed mollissimam apri partem vult indicare. Praeterea ubi de culina agitur, quamvis mira quaedam in hoc genere nobisque nauseam factura Romani habuerint, nostri quoque palati aliquod judicium esse quis neget? Id vero nemo nostra aetate inducetur ut credat, fuisse, qui ilia, seu eas partes apri, quas Plin. H. N. XI, 83 describit, pro sapidissima illius ferae parte habuerit. Sed apud Horatium Sat. II, 8, 30 Nasidieni rusticitas ridetur, qui convivis ilia rhombi porrigit. *Fieri*, vocari. *Parvulus Aeneas*, parvulus filius, qui ab intestato tibi heres sit. Nomen ex Virg. Aen. IV, 328 depromtum.

Qui tegitur parma et galea, metuensque flagelli
Discit ab hirsuta jaculum torquere capella.
Forsitan impensae Virronem parcere credas.
Hoc agit, ut doleas: nam quae comoedia, mimus
Quis melior plorante gula? Ergo omnia fiunt,
Si nescis, ut per lacrimas effundere bilem
Cogaris, pressoque diu stridere molari.

---

viderunt, in *hirsuta* tantum *capella* haerentes. Mihi *capella* (capra Hor. Ep. I, 5, 29) pro humero videtur dici, haud aliter, ac supra v. 125 planta pro pede, multisque poëtarum locis palma pro manu. Deinde ne dubium relinquatur, qualem capram poëta significet, addidit *hirsuta*, pilis vestita. Discit jaculum torquere ab humero, ἀπὸ τοῦ ὤμου. Illud est oratoribus ac poëtis juxta usitatum πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν: stat tiro sub magistro verbera intentante; jaculum est in manu; brachium ad vibrandum telum tollitur, retorquetur; villus in commissura lacerti et pectoris latens apparet.

156—165. *Quae comoedia* sq. Oris tui per dolorem et iram confusio ipsi pro comoedia est. Liv. XXXIX, 6 de luxuriae peregrinae origine ab exercitu Asiatico in urbem invecta: Tunc psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Macrobius Sat. II, 7 Pyladem pantomimum, quum Herculem furentem in theatro ageret, sagittas in populum jecisse, et quum jussu Augusti eandem personam ageret in triclinio, et arcum intendisse et spicula misisse scribit. *Mimus*, risus movendi caussa ad convivia adhibitus. Plin. Ep. IX, 17: Accepi tuas literas, quibus quereris taedio tibi fuisse quamvis lautissimam coenam, quia scurrae, cinaedi, moriones mensis inerrabant. — Sed morionibus stupiditatem fingentibus seculi ineptias et vitia licuisse facetiis jactis perstringere Sen. de Brev. 12 docet: Nunc et mimos multa mentiri ad exprobrandam luxuriam puta. — Gulae luxuriantium eo majori cum jucunditate pascuntur, quo acrius inter ipsas delicias vel Stoicorum austera sapientia, vel scenicorum artificum dicacitas in luxum invehitur, quod contraria ex adverso posita magis adficiunt animos. Hinc mimi quoque arcessuntur ad convivia. Sed *plorans gula* Virroni plus praestat, quam mimi centum. Gula

Tu tibi liber homo et regis conviva videris;
Captum te nidore suae putat ille culinae;
Nec male conjectat. Quis enim tam nudus, ut illum
Bis ferat, Etruscum puero si contigit aurum,
Vel nodus tantum et signum de paupere loro?
Spes bene coenandi vos decipit. Ecce, dabit jam
Semesum leporem atque aliquid de clunibus apri;
Ad nos jam veniet minor altilis. Inde parato
Intactoque omnes et stricto pane tacetis.
Ille sapit, qui te sic utitur. Omnia ferre
Si potes, et debes. Pulsandum vertice raso

---

clientis plorat, quum vocatus ad convivium esurit. *Molari* seu maxillari dente *stridere*, frendere. *Etruscum aurum*, bulla aurea, insigne puerorum ingenuorum. Macrob. Sat. I, 6: Nonnulli credunt, ingenuis pueris attributum, ut cordis figuram ante pectus annecterent; quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde praestarent ..... *Vel nodus.* Pueri pauperes et libertini utebantur bulla e corio facta. Omnes hae bullae ad avertendas fascinationes pueris annexae eo tempore, quo superstitionum vetustarum memoria evanuit, moris antiqui caussa servabantur.

166 — 173. *Ecce dabit jam* sq. Haec conviva contumeliose habitus, et os patroni atque vultum circumspectans vel secum loquitur, vel in proximo accubanti insusurrat. *Stricto pane*, ut bis apud Ovidium, Am. I, 6, 14 et Trist. V, 2, 30 strictae manus, et Sen. Epigr. sup. exs. 5, 9: vates carmina stringit. Nec est idem *parato pane*, quod *stricto*. Nam primo panem a servo ministrante petierunt miseri convivae; hunc panem ita *paratum* tenent *intactum*, ut quamvis esurientes eum non manducent, et *strictum* sive in promtu habent, ut frusta carnis, quae avide exspectant, quum sibi tandem contigerint, ei pani imposita statim devorent. *Pulsandum* sq. Eo pervenies postremo, ut velut mimus, fatui personam agens, omnibus ludibriis te vexandum praebeas. *Vertice raso.* Qui ad personam fatui seu morionis agendam inducebantur in scenam, cal-

Praebebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati, his epulis et tali dignus amico.

---

vitie plerumque deformes eo ipso capitis dehonestamento risum movebant, iisdemque in comoedia illa scurrili creberrimi colaphi ingerebantur.

APPENDICES.

A. Seneca de ira II, 7. 8.

1. **Si irasci sapiens debet turpiter factis, et concitari tri-**
starique ob scelera, nihil est aerumnosius sapiente: omnis
2. **illi per iracundiam moeroremque vita transibit. Quod**
enim momentum erit, quo non improbanda videat? quoties
processerit domo, per sceleratos illi avarosque, et pro-
digos, et impudentes, et ob ista felices, incedendum
erit: nusquam oculi ejus flectentur, ut non, quod in-
3. **dignentur, inveniant. Deficiet, si toties a se iram,**
quoties caussa poscet, exegerit. Haec tot millia ad
forum prima luce properantia, quam turpes lites,
quanto turpiores advocatos consciscunt? Alius judi-
cia patris accusat, quae mereri satis fuit: alius cum
matre consistit; alius delator venit ejus criminis, cujus
manifestior reus est; et judex damnaturus quae fecit,
eligitur: et corona pro mala caussa, bona patroni voce
4. **corrupta. Quid singula persequor? quum videris Forum**
multitudine refertum, et septa concursu omnis frequen-
tiae plena, et illum Circum, in quo maximam sui partem
populus ostendit: hoc scito, istic tantundem esse vitio-
rum, quantum hominum. Inter istos, quos togatos vides,
nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio
ducitur.

3. *Judicia* sq. Testamentum patris vult rescindi, quo pater male quidem, sed vere de ipso judicavit. *Cum matre consistit* ante tribunal, adversus matrem litigat. *Corona* audientium. *Bona* caussa. 4. *Compendio*, lucro.

1. Nulli nisi ex alterius damno quaestus est; felicem oderunt, infelicem contemnunt; majore gravantur, minori graves sunt; diversis stimulantur cupiditatibus; omnia
2. perdita ob levem voluptatem praedamque cupiunt. Non alia quam in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viventium pugnantiumque. Ferarum iste conventus est: nisi quod illae inter se placidae sunt, morsuque similium
3. abstinent, hi mutua laceratione satiantur. Hoc uno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos, a quibus est nutrita, depascitur. Nunquam irasci desinet sapiens, si semel coeperit: omnia sceleribus ac vitiis plena sunt, plus committitur,
4. quam quod possit coërcitione sanari. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris aequiorisque respectu, quocunque visum est, libido se impingit; nec furtiva jam scelera sunt: praeter oculos eunt. Adeoque in publicum missa nequitia est, et in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed
5. nulla sit. Numquid enim singuli aut pauci rupere legem? undique, velut signo dato, ad fas nefasque miscendum coorti sunt.

— Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercae.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Ovid. Met. I, 144.

6. Et quota pars ista scelerum est? non descripsit castra ex una parte contraria, parentum liberorumque sacramenta diversa, subjectam patriae civis manu flammam, et agmina infestorum equitum ad conquirendas proscri-

ptorum latebras circumvolitantia, et violatos fontes venenis, et pestilentiam manu factam, et praeductam obsessis parentibus fossam, plenos carceres, et incendia totas urbes concremantia, dominationesque funestas, et regnorum publicorumque exitiorum clandestina consilia: et pro gloria habita, quae, quamdiu opprimi possunt, scelera sunt: raptus ac stupra.

6. *Non descripsit castra ex una parte contraria.* Ovidius, quum aetatis ferreae, seu nostrae, mala descripsit, ne illud quidem, quod est prope maximum, attigit, ut ex una parte, ex eadem familia homines in partes diversas abirent, alter ad hostes alterius sese adplicaret. *Patriae* urbis. *Civis* Sullae.

B. Seneca de Beneficiis VI, 33, 3 — 34, 3.

3. Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. Consuetudo ista vetus est regibus, regesque simulantibus, populum amicorum describere. Est proprium superbiae, magno aestimare introitum ac tactum sui liminis, et pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt.

Populum, turbam. *Describere*, classibus distinguere.

1. Apud nos primi omnium C. Gracchus, et mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios universos. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt secundos, nunquam veros. Amicum vocas, cujus disponitur salutatio? aut potest hujus tibi patere fides, qui per fo-

res maligne apertas non intrat, sed illabitur? Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cujus vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis, Ave, non nisi suo ordine emittitur? Ad quemcunque itaque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiam si animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos, et commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum,
3. amicis vacuum. In pectore amicus, non in atrio quaeritur. Illo recipiendus est, illic retinendus, et in sensus recondendus. Hoc doce, gratus es.

1. *Alios in secretum recipere*, admittere ad colloquia secreta. *Universos*, ita ut simul omnes intromitterentur. *Disponitur*, loco ac tempore circumscribitur. 2. *Ad distringendam libertatem*, ad sensus animi libere profitendos. 3. *Hoc doce*, hoc si docueris.

Seneca de brevitate vitae 14.

6. Isti, qui per officia discursant, qui se aliosque inquietant, quum bene insanierint, quum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ullas apertas fores praeterierint, quum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint: quotum quemque ex tam immensa et variis cupiditatibus districta urbe poterunt videre? quam multi erunt, quorum illos aut somnus, aut luxuria, aut
7. inhumanitas submoveat? quam multi, qui illos, quum diu torserint, simulata festinatione transcurrant? quam multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, et per obscuros aedium aditus profugient? quasi non inhumanius sit decipere, quam excludere! quam multi hesterna crapula semisomnes et graves illis miseris somnum suum

rumpentibus, ut alienum exspectent, vix allevatis labiis insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent? Hos in veris officiis morari licet dicamus, qui Zenonem, qui Pythagoram quotidie, et Democritum, ceterosque antistites bonarum artium, qui Aristotelem et Theophrastum volent habere quam familiarissimos! nemo horum non vacabit, nemo non venientem ad se beatiorem amantioremque sui dimittet, nemo quemquam vacuis a se manibus abire patietur.

7. *Insusurratum* a servo nomenclatore.

Seneca de tranquillitate animi 12.

1. Circumcidenda est concursatio, qualis est magnae parti hominum, domos, et theatra, et fora perеrrantium. Alienis se negotiis offerunt, semper aliquid agentibus similes. Horum si aliquem exeuntem de domo interrogaveris: Quo tu? quid cogitas? respondebit tibi: Non mehercule scio, sed aliquos videbo, aliquid agam. Sine proposito vagantur, quaerentes negotia: nec quae destinaverunt, agunt, sed in quae incurrerunt. Inconsultus illis vanusque cursus est, qualis formicis, per arbusta repentibus; quae in summum cacumen, deinde in imum inanes agun-
2. tur. His plerique similem vitam agunt, quorum non immerito quis inquietam inertiam dixerit. Quorundam quasi ad incendium currentium misereris: usque eo impellunt obvios et se aliosque praecipitant: quum interim cucurrerint, aut salutaturi aliquem non resalutaturum, aut funus ignoti hominis prosecuturi, aut judicium saepe litigantis, aut sponsalia saepe nubentis, et lecticam assectati quibusdam locis et ipsi tulerint; deinde domum

terra cubile erat; quorum tecta nondum auro fulgebant; quorum templa nondum gemmis nitebant! Itaque tunc per fictiles deos religiose jurabatur: qui illos invocaverant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, quum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua jam saepe hostem percusserat, laureamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat, quam Apicius nostra memoria vixit! qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis, abire jussi sunt, scientiam popinae professus, disciplina sua seculum infecit: cujus exitum nosse operae pretium est. Quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum et ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus exsorpsisset, aere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit: superfuturum sibi sestertium centies computavit, et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit?

Seneca de vita beata 11.

3. Adspice Nomentanum et Apicium, terrarum ac maris (ut isti vocant) bona conquirentes, et super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem e suggestu rosae exspectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus; et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriae parentatur.

Parentatur, justa solvuntur; quidquid luxuriose potest fieri, a Nomentano et Apicio id omne exhauritur; cum Nomentanis et Apiciis luxuria occidit.

E. Senecae Epistola 47.

1. Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi, familiariter te cum servis tuis vivere: hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Servi sunt? immo homines. Servi sunt? immo contubernales. Servi sunt? immo humiles amici. Servi sunt? immo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunae. Itaque rideo istos, qui turpe existimant, cum servo suo coenare: quare? nisi quia superbissima consuetudo coenanti domino stan-
2. tium servorum turbam circumdedit. Est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem, ac desuetum jam ventris officio, ut majore opera omnia egerat, quam ingessit; at infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet. Virga murmur omne compescitur; et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt: tussis, sternutamentum, singultus; magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur; nocte tota
3. jejuni mutique perstant. Sic fit, ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi, quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum avertere. In conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. Deinde ejusdem arrogantiae prover-
4. bium jactatur: totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Alia interim crudelia

et inhumana praetereo, quod nec tanquam hominibus quidem, sed tanquam jumentis abutimur; quod quum ad coenandum discubuimus, alius sputa detergit, alius reliquias temulentorum subditus colligit, alius pretiosas aves scindit; pectus et clunes, certis ductibus circumferens
5. eruditam manum, in frusta excutit. Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet! nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis caussa docet, quam qui necessitatis discit. Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum aetate luctatur. Non potest effugere
6. pueritiam, retrahitur. Alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat, quos adulatio, intemperantia aut gulae, aut linguae, revocet in crastinum. Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est; qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet, cujus delectet adspectus, cujus novitate nauseabundus erigi possit, quid jam ipsa satietate fastidiat, quid illo
7. die esuriat. Cum his coenare non sustinet, et majestatis suae diminutionem putat, ad eandem mensam cum servo suo accedere. Dii melius, quod ex istis dominos habent! Stare ante limen Callisti dominum suum vidi, et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. Retulit illi gratiam servus, ille in primam decuriam conjectus, in qua vocem praeco experitur, et ipse illum invicem
8. apologavit, et ipse non judicavit domo sua dignum. Dominus Callistum vendidit; sed domino quam multa Callistus? Vis tu cogitare istum quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui coelo, aeque spirare, aeque vivere, aeque mori? Tam tu illum ingenuum videre potes, quam ille te servum. Variana clade quam multos splendidissime natos, senatorium per mili-

tiam auspicantes gradum, fortuna depressit? alium ex
9. illis pastorem, alium custodem casae fecit. Contemne nunc ejus fortunae hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum immittere, et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi et contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas,
10. quemadmodum tecum superiorem velles vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat, veniat in mentem, tantundem in te domino tuo licere. „At ego", inquis, „nullum habeo dominum". Bona aetas est: forsitan habebis. Nescis, qua aetate Hecuba servire coeperit, qua Croesus, qua Darii mater, qua Plato, qua
11. Diogenes? Vive cum servo clementer, comiter quoque: et in sermonem admitte, et in consilium, et in convictum. Hoc loco acclamabit mihi tota manus delicatorum: nihil hac re humilius, nihil turpius. Hos ego eosdem deprehendam alienorum servorum osculantes manum. Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint?
12. Dominum patremfamiliae appellaverunt; servos (quod etiam in mimis adhuc durat) familiares. Instituerunt diem festum, quo non solum cum servis domini vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere, jus dicere permiserunt, et domum pusillam rempublicam esse judicaverunt. Quid ergo? omnes servos admovebo men-
13. sae meae? non magis quam omnes liberos. Erras, si existimas me quosdam quasi sordidioris operae rejecturum, ut puta illum mulionem, et illum bubulcum; non ministeriis illos aestimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores; ministeria casus assignat. Quidam coenent tecum, quia digni sunt; quidam, ut sint. Si quid enim

in illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum
14. convictus excutiet. Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras; si diligenter attenderis, et domi invenies. Saepe bona materia cessat sine artifice: tenta, et experire. Quemadmodum stultus est, qui equum emturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac fraenos: sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quae vestis modo nobis cir-
15. cumdata est, aestimat. Servus est? sed fortasse liber animo. Servus est? hoc illi nocebit? ostende quis non sit. Alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes timori. Dabo consularem aniculae servientem; dabo ancillulae divitem; ostendam nobilissimos juvenes mancipia Pantomimorum. Nulla servitus turpior est, quam voluntaria. Quare non est quod fastidiosi te deterreant, quo minus servis tuis hilarem te praestes, et non superbe superiorem. Colant potius te, quam ti-
16. meant. Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum servos, et dominos de fastigio suo dejicere, quod dixi, colant potius dominum, quam timeant. Itane, inquit, prorsus colant tanquam clientes, tanquam salutatores? Hoc qui dixerit, obliviscetur, id dominis parum esse, quod Deo satis est, qui colitur et amatur. Non potest amor cum
17. timore misceri. Rectissime ergo te facere judico, quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris. Verberibus multa admonentur. Non quidquid nos offendit, et laedit. Sed ad rabiem cogunt venire deliciae, ut quidquid non ex voluntate respondit, iram evo-
18. cet. Regum nobis induimus animos. Nam illi quoque obliti et virium suarum, et imbecillitatis alienae, sic excandescunt, sic saeviunt, quasi injuriam acceperint: a cujus rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissi-

mos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant, quaerendo. Acceperunt injuriam, ut facerent. Diutius te morari nolo. Non est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores: placent sibi, et permanent. Levis est malitia: saepe mutatur, non in melius, sed in aliud.

1. *Quare* turpe existimant? Non possunt id turpe existimare, *nisi quia* etc. 2. *Est*, comedit. *Opera*, labore seu nisu. 5. *Retrahitur* in pueritiam eo, quod veste puerili adstare cogitur. 6. *Convivarum censura permissa*, cui pro munere singulari est injunctum, ut singulos convivas, quemadmodum sese gerant inter epulas, observet. *Quos adulatio etc. revocet in crastinum*, qui convivarum vel adulando, vel intemperantia etc. digni sint, quos dominus iterum ad coenam invitet. 7. *Dii melius* sq. Dii melius consulunt, rectius agunt, qui rebus humanis ita moderantur, ut, qui mortalium tanta insolentia utuntur, servis suis, antea despectis et vexatis, servire cogantur. *Callisti*, qui libertus Claudii Caesaris erat potentissimus cum Narcisso et Pallante. Saepius de eo Tacitus in Annalibus. *Dominum suum*, cui servierat Callistus, antequam Caesaris mancipium fieret. Hic igitur, quem haud nominat Seneca, salutatum venerat Callistum servum olim suum, et intromitti volebat. *Impegerat titulum*. Servis venalitiis titulus seu inscriptio in collum vel in pectus impingebatur, i. e. alligabatur, unde nomen, patria, et bona malave eorum cognoscerentur. *Inter ridicula mancipia*, ut morionem seu fatuum, quales emi esse solitos ab iis, qui risum sibi volebant moveri, docet Mart. VIII, 13. Cfr. Sen. Ep. 50. Plin. Ep. IX, 17. *In primam decuriam*, inter primos eosque vilissimos servorum, qui una venundabantur. *Vocem praeco experitur*, quos primos omnium, quia sunt vilissimi, offert. *Apologavit*, rejecit. 8. *Domino quam multa Callistus?* Quoties ille, cui antea servierat Callistus, praepotentem postmodum Claudii libertum donis exoravit, ut voti alicujus per imperatorem compos fieret. *Vis tu* sq. ut Sat. 5, 74. 9. *Locum*, materiam disputandi. 15. *Et non superbe superiorem*, superiorem sine superbia. 17. *Ad rabiem cogunt venire deliciae*, luxuria dominorum animos in rabiem vertit. 18. *A cujus rei periculo* sq. Regum majestas efficit, ut illi injuriam nequeant accipere.

F. Plin. Ep. I, 13.

Cajus Plinius Sosio Senecioni suo S.

Magnum proventum poëtarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Juvat me, quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant: tametsi ad audiendum pigre coitur. Plerique in stationibus sedent, tempusque audiendis fabulis conterunt, ac subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum: tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt. Nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. At hercule memoria parentum Claudium Caesarem ferunt, quum in palatio spatiaretur, audissetque clamorem, caussam requisisse; quumque dictum esset, recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque venisse. Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus, et identidem admonitus aut non venit, aut si venit, queritur, se diem, quia non perdiderit, perdidisse. Sed tanto magis laudandi probandique sunt, quos a scribendi recitandique studio haec auditorum vel desidia vel superbia non retardat. Equidem prope nemini defui; erant sane plerique amici; neque enim est fere quisquam, qui studia, ut non simul et nos amet. His ex caussis longius, quam destinaveram, tempus in urbe consumpsi. Possum jam repetere secessum, et scribere aliquid, quod non recitem: ne videar, quorum recitationibus affui, non auditor fuisse, sed creditor. Nam ut in caeteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. Vale.

G. Plin. Ep. II, 3.

Cajus Plinius Nepoti suo S.

Magna Isaeum fama praecesserat; major inventus est. Summa est facultas, copia, ubertas; dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit; sermo Graecus, immo Atticus; praefationes tersae, graciles, dulces, graves interdum et erectae. Poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, saepe etiam partes. Surgit, amicitur, incipit: statim omnia, ac paene pariter ad manum. Sensus reconditi, occursant verba: sed qualia? quaesita et exculta. Multa lectio in subitis, multa scriptio elucet. Prooemiatur apte; narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse: postremo docet, delectat, afficit; quid maxime, dubites: crebra ἐνθυμήματα, syllogismi circumscripti et effecti: quod stylo quoque assequi magnum est. Incredibilis memoria: repetit altius quae dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. Ad tantam ἕξιν studio et exercitatione pervenit: nam diebus et noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum sexagesimum excessit, et adhuc scholasticus tantum est, quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamvis nolimus, addiscimus. Schola et auditorium, ut ficta caussa, ita res inermis, innoxia est: nec minus felix, senibus praesertim. Nam quid in senectute felicius, quam quod dulcissimum est in juventa? Quare ego Isaeum non disertissimum tantum, verum etiam beatissimum judico: quem tu nisi cognoscere concupiscis, saxeus ferreusque es. Proinde si non ob alia, nosque ipsos, at certe ut hunc audias, veni. Nunquamne

legisti Gaditanum quendam, Titi Livii nomine gloriaque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque ut viderat abiisse? Ἀφιλόκαλον, illiteratum, iners ac paene etiam turpe est non putare tanti cognitionem, qua nulla est jucundior, nulla pulchrior, nulla denique humanior. Dices: habeo hic quos legam, non minus disertos. Etiam; sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. Praeterea multo magis, ut vulgo dicitur, viva vox afficit. Nam licet acriora sint quae legas, altius tamen in animo sedent, quae pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis affigit: nisi vero falsum putamus illud Aeschinis, qui quum legisset Rhodiis orationem Demosthenis, admirantibus cunctis, adjecisse fertur: *Τί δὲ εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου, τὰ αὑτοῦ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόετε;* et erat Aeschines, si Demostheni credimus, *μεγαλοφωνότατος*: fatebatur tamen, longe melius eadem illa pronunciasse ipsum, qui pepererat. Quae omnia huc tendunt, ut audias Isaeum, vel ideo tantum, ut audieris. Vale.

H. Plin. Ep. II, 6.

Cajus Plinius Avito suo S.

Longum est altius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit, ut homo minime familiaris coenarem apud quendam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem, ut mihi, sordidum simul et sumptuosum: nam sibi et paucis optima quaedam, caeteris vilia et minuta ponebat; vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne jus esset recusandi. Aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet,)

aliud suis nostrisque libertis. Animadvertit, qui mihi proximus recumbebat, et an probarem interrogavit. Negavi. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono; ad coenam enim, non ad notam, invito: cunctisque rebus exaequo, quos mensa et toro aequavi. Etiamne libertos? Etiam; convictores enim tunc, non libertos, puto. Et ille: magno tibi constat. Minime. Qui fieri potest? Quia scilicet liberti non idem, quod ego, bibunt, sed idem ego, quod liberti. Et hercule, si gulae temperes, non est onerosum, quo utaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consules. Quorsum haec? Ne tibi optimae indolis juveni quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere, quid debeas fugere. Igitur memento, nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriae et sordium novam societatem: quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius junguntur. Vale.

I. Mart. Epigr. II, 14.

Ad Paullinum de Selio.

Nil intentatum Selius, nil linquit inausum,
 Coenandum quoties jam videt esse domi.
Currit ad Europen, et te, Paulline, tuosque
 Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.
Si nihil Europe fecit, tum Septa petuntur,
 Si quid Phillyrides praestet, et Aesonides.

Hic quoque deceptus Memphitica templa frequentat,
Assidet et cathedris moesta juvenca tuis.
Inde petit centum pendentia tecta columnis;
Illinc Pompeii dona, nemusque duplex.
Nec Fortunati spernit, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aeoliamque Lupi.
Nam thermis iterumque iterumque iterumque lavatur.
Omnia cum fecit, sed renuente Deo,
Lotus ad Europes tepidae buxeta recurrit,
Si quis ibi serum carpat amicus iter.
Per te, perque tuam, vector lascive, puellam
Ad coenam Selium tu, rogo, Taure, voca.

3. *Selius*, misere cupiens, ad coenam vocari, currit in Campum Martium, in quo porticus plurimae variis picturis insignes, in iisque Europe, a Jove tauro vecta. Ibi quum in propinquo Paullinus cursu exercetur, Selius laudando ejus pernicitatem vult efficere, ut se invitet. — 5. *Europe*, Campi Martii pars ea, in qua juvenes exercentur. *Septa*, loca duo in Campo Martio tabulatis septa et clausa, in modum stabuli, in quorum altero populus Romanus stabat comitiorum tempore, antequam ad suffragium vocaretur; in altero magistratus, qui comitiis praeerat, ejusque ministri, praecones et alii. — 6. *Phillyrides*, Chiron. *Aesonides*, Jason. In propinquo Neptuni templo depicta erat historia Argonautarum. Ibi quoque circumspectat homines ad coenam se vocaturos. — 7. *Memphitica*, Isidis templa. *Juvenca* simulacrum est Isidis. — 9. 10. Selius duas porticus publicas perambulat. 11. 12. Nomina balneatorum quattuor. *Grylli tenebrae* a Martiale I, 60 tenebrosa balnea Grylli vocantur. *Aeolia*, proprie insula ventorum dei (Virg. Aen. I, 52). Ergo Lupi balneum ventis omnibus pervium. — 17. *Vector lascive*, Jupiter hospitalis.

K. Mart. Epigr. II, 19.

Ad Zoilum.

Felicem fieri credis me, Zoile, coena;
Felicem coena, Zoile? deinde tua?
Debet Aricino conviva recumbere clivo,
Quem tua felicem, Zoile, coena facit.

L. Mart. Epigr. III, 38.

Ad Sextum.

Quae te caussa trahit, vel quae fiducia Romam,
Sexte? quid aut speras, aut petis inde? refer.
Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.
Egit Atestinus caussas, et Cajus, utrumque
Noras: sed neutri pensio tota fuit.
Si nihil hinc veniet, pangentur carmina nobis:
Audieris, dices esse Maronis opus.
Insanis: omnes gelidis quicumque lacernis
Sunt ibi, Nasones, Virgiliosque vides.
Atria magna colam. Vix treis, aut quattuor ista
Res aluit: pallet caetera turba fame.
Quid faciam? suade. Nam certum est vivere Romae.
Si bonus es, casu vivere, Sexte, potes.

4. *In triplici foro*, Latino, Caesaris et Augusti. — 5. Poëta Sexto respondet. *Atestinus*, *Cajus*, nomina caussidicorum. — 6. *Pensio*. Neuter caussas orando tantum profecit, ut, quod pro conductis aedibus debebat, inde posset solvere. De pen-

sionibus cf. Suet. Nero 44. — 7. Sextus denuo infit. — 8. *Audieris*. Si me recitantem audiveris. — 9. *Gelidis lacernis*. Qui lacernas induti tamen algent, i. e. qui ex arte carminum pangendorum nihil emolumenti ceperunt. — 14. *Casu vivere potes*, incertus erit tibi victus; contra pessimo cuique multae ad victum quaerendum viae patent.

M. Mart. Epigr. III, 52.

Ad Tongilianum.

Emta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis:
Abstulit hanc nimium casus in urbe frequens;
Collatum est decies. Rogo, non potes ipse videri,
Incendisse tuam, Tongiliane, domum?

1. *Ducenis* millibus Sest. — 3. *Collatum* ex symbolis amicorum.

N. Mart. Epigr. III, 59.

De sutore et fullone.

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinae: nunc ubi caupo dabit?

O. Mart. Epigr. III, 60.

In Ponticum.

Cum vocor ad coenam, non jam venalis, ut ante:
Cur mihi non eadem, quae tibi, coena datur?
Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sugitur inciso mitulus ore mihi.

Sunt tibi boleti; fungos ego sumo suillos.
Res tibi cum rhombo est; at mihi cum sparulo.
Cereus immodicis turtur te clunibus implet;
Ponitur in cavea mortua pica mihi.
Cur sine te coeno, cum tecum, Pontice, coenem?
Sportula quod non est, prosit: edamus idem.

1. *Non jam venalis.* Nero publicas coenas ad sportulas redegit, ut, qui antea publice ad coenam vocabantur, postea pro coena stipem certam acciperent. Domitianus eum morem sustulit, revocata coenarum rectarum consuetudine. Viri nobiles et divites utriusque principis auctoritatem secuti sub Nerone pecuniam pro coena, sub Domitiano coenam pro pecunia clientibus, qui veniebant salutatum, solebant praestare. Itaque ante Domitianum poëta, quum ad salutandum patronum veniebat, venalis erat, seu officium ejus nummis emebatur. Tum vero Domitiano imperante non jam est venalis; nullos nummos pro mercede officii accipit. — 4. *Mitulus.* Hor. Sat. II, 4, 28. *Inciso ore*, ita ut in sugendo mea labia laedat. — 5. *Suillos* fungos Plin. H. N. XXII, 47 deterioris notae esse monet. — 6. *Sparulo*, pisce minuto et vili, qui hodieque apud Italos idem nomen tenet. — 7. *Cereus*, pinguis. — 8. *In cavea.* Nam hae aves, quae et monedulae vocantur, lusibus puerorum inserviebant. — 10. *Sportula quod non est*, quod dare nummos pro coena patroni desierunt.

P. Mart. Epigr. V, 8.

De Phaside.

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis,
Et jactat tumido superbus ore:

Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur —
Haec, et talia dum refert supinus,
Illas purpureas et arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

1. *Domini Deique* Domitiani. — 5. *Phasis*, homo arrogans, qui, quanquam censu equestri destitutus, in XIV ordinibus consedit. — 11. 12. *Purpureas lacernas*, homines vestitu suo opulentiam simulantes. — *Lectius* designator.

Q. Mart. Epigr. VI, 8.

Ad Severum.

Praetores duo, quattuor tribuni,
Septem caussidici, decem poëtae,
Cujusdam modo nuptias petebant
A quodam sene. Non moratus ille
Praeconi dedit Eulogo puellam.
Dignum quid fatuo, Severe, fecit?

3. *Cujusdam* virginis. — 6. Quid fecit filiam ita collocando, quapropter sit dignus, quem vocemus fatuum?

R. Mart. Epigr. X, 10.

In Paullum.

Cum tu laurigeris annum qui fascibus intras,
Mane salutator limina mille teras:
Hic ego quid faciam? quid nobis, Paulle, relinquis,
Qui de plebe Numae, densaque turba sumus?

Qui me respiciet, dominum, regemque vocabo?
Hoc tu (sed quanto blandius!) ipse facis.
Lecticam, sellamve sequar? nec ferre recusas:
Per medium pugnas et prior ire lutum.
Saepius assurgam recitanti carmina? tu stas
Et pariter geminas tendis in ora manus.
Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

5. Eumne, quem ego et tu cum aliis plurimis salutatum venimus, blande appellando mihi propitiabo? quum tu, vir illustris, idem facias blandius. Nam quum adulantur duo, nobilis alter, alter exiguus, nulla huic misero, qui contemnitur, gratia videtur deberi. — 7. *Lecticam* patroni. *Nec ferre*, ne ferre quidem lecticam, oneri succedere, servilia ministeria subire. — 8. *Prior ire*, ut anteambulo seu cursor, qui turbam dimovet. — 11. *Cui non licet esse clienti*, cui vos aditum ad patronos praeripitis.

8. Mart. Epigr. XII, 57.

Ad Sparsum.

Cur saepe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villae sordidum petam, quaeris?
Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. Negant vitam
Ludimagistri mane, nocte pistores,
Aerariorum marculi die toto.
Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana nummularius massa;
Illinc paludis malleator Hispanae
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonae,
Nec fasciato naufragus loquax trunco.

A matre doctus nec rogare Judaeus,
Nec sulphuratae lippus institor mercis.
Numerare pigri damna qui potest somni,
Dicet quot aera verberent manus urbis,
Cum secta Colcho luna vapulat rhombo.
Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire,
Petilianis delicatus in regnis,
Cui plana summos despicit domus montes,
Et rus in urbe est, vinitorque Romanus,
Nec in Falerno colle major autumnus,
Intraque limen latus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
Offensa linguis; nec dies, nisi admissus.
Nos transeuntis risus excitat turbae,
Et ad cubile est Roma: taedio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

5. Haud aliter Martialis IX, 69 de ludimagistri garrulitate et in verberandis pueris assiduitate conqueritur, qua ante galli cantum vicinorum somnum interpellet. — 6. *Aerariorum*, fabrorum, *marculi*, parvi mallei. — 7. *Otiosus*, dum nemo ad mensam ejus accedit, qui pecuniam aut versari aut probari cupit. — 8. *Neroniana massa.* Possis cogitare de simulacris deorum aureis vel argenteis, quae Nero (Suet. 32) jussit conflari. Sed hoc non minus languere mihi videtur, quam quod Schrev. ad haec verba exponenda adfert. *Neroniana massa* pro *Domitianea* dictum equidem censeo. V. ad Sat. 4, 38. Plin. Paneg. 52 et Dio p. 1118 Domitiani imagines excoctas fuisse flammis referunt, ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur, et grandem inde pecuniam redactam esse. Martialis autem hunc librum epigrammatum duodecimum post caedem Domitiani edidit. V. Epigr. 6, 8. Igitur nummularius aliis curis vacuus ex ea massa, quae paullo ante fuit Nero, Domitianus, nummos procudit. Nam Domitianus (Suet. 13) statuas sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi. — 9. *Paludis Hispanae.* Ulvam palustrem Martialis XI, 32 et XIV, 160 *paludem* vocat:

ergo *palus Hispana* hoc quoque loco erit planta palustris, quae eo usque tunditur, donec stuppa sub cortice latens excludatur. Haec verba ad aurum non posse referri, quod quidam lectione mutata voluerunt, vel ex duabus v. 10 vocibus *fuste verberat* intelligitur. Linum textum rursus tundi clavis Plin. H. N. XIX, 3 scribit. — 11. *Turba Bellonae* V. ad Sat. 4, 124. *Entheata*, furore percita. — 12. *Fasciato trunco*, ventre fasciis circumligato, vel propter herniam, vel propter vulnera in naufragio accepta. Naufragus casus suos narrando idem vult efficere, quod v. 13 Judaeus rogando. — 14. *Sulphuratae mercis*, vitri fracti, sulphure conglutinati. — 15. *Damna*, jacturas, seu noctes illas, quibus somno carere cogitur. Sparsus dives, quum omnem a cubiculo suo strepitum longe removit, noctes insomnes nequit numerare. — 16. 17. Tibullus Eleg. I, 9, 21:

Cantus et e curru lunam deducere tentat:
Et faceret, si non aera repulsa sonent;

Sagae mulieres incantationibus efficere credebantur, ut luna in terram descenderet, ac spumam vel virus, quo veneficae uterentur, in herbas effunderet; idque fieri, quotiescunque luna deficere videretur; itaque pios homines lunae debere, (ut est apud Juvenalem Sat. 6, 443) laboranti succurrere, et vim sagarum ab ea depellere; id vero fieri aerium sono, crepitu pelvium ac tintinnabulorum, tubarum cornuumque concentu. *Secta luna*, quod plenus lunae orbis in eclipsi videtur secari. *Colcho*, magico, *rhombo*. Rhombus idem est, quem Horat. Epod. 17, 7 turbinem vocat. Sagae inter carmina et incantationes rhombum seu turbinem torquebant. *Vapulat*, male habetur. — 19. *Petilianis in regnis*, in possessione tua ingenti, quae olim Petiliorum fuit. — 20. *Plana domus*, domus in parva planitie summi Janiculi posita. *Summos montes*, vertices reliquorum collium Urbis. — 22. *Autumnus*, vindemia. — 23. *Intra limen*, in loco, quem aedes tuae ambiunt. *Latus essedo cursus*, spatium ingens, in quo curru possis vehi. — 24. 25. *In profundo*, in intimo aedium recessu. Ita Plinius Ep. II, 17 cubiculi sui in Laurentino silentium laudat: Non illud voces servulorum, non maris murmur, non tempestatum motus, non fulgurum lumen, ac ne diem quidem sentit, nisi fenestris apertis. — 27. *Ad cubile*, ante ipsum cubile.

T. Epigr. de spectaculis 10.

De Leone qui gubernatorem offendit.

Caesarem a justitia laudat, qui leonem, quod magistrum laeserat occideratve, telis confossum interfici jussit.

Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
Ausus tam notas contemerare manus:
Sed dignas tanto persolvit crimine poenas;
Et qui non tulerat verbera, tela tulit.
Quos decet esse hominum tali sub principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris?

2. *Contemerare*, violare.

U. Epigr. de spectaculis 16.

De Hercule insidente tauro ad coelum rapto.

Ediderat Domitianus spectaculum, quo Hercules tauro vectus in coelum portabatur: fiebatque hoc per machinamentum ἀκροβατικὸν seu ἐώρας. Poëta taurum hunc Jovis tauro collatum anteponit.

Raptus abit media quod ad aethera taurus arena;
Non fuit hoc artis, sed pietatis opus.
Vexerat Europen fraterna per aequora taurus;
At nunc Alciden taurus in astra tulit.
Caesaris atque Jovis confer nunc schema: juvenci
Par onus ut tulerint; altius iste tulit.

5. *Schema*, faciem ab utroque indutam, utrumque tauri specie prodeuntem. — 6. *Altius*, ad coelum.

